muniendam suscepit, ut fidos sociosab impetu Mediolanen-
A sium redderet tutos, subacto Mediolano. Oppidum itaque
muro à terra firmavit, cùm satis alteram partem flumen Ab-
duæ regeret: atque in eam tem maximas impensas, ac verè re-
gias contulit. *Sigon.l.12.Regni Italici.*

In schismate, quod inter Innocentium II & Anacletum II.
Pontifices Romanos multis anni duravit, restituto per Lo-
tharium Imperatorem Innocentio, & Rogerio etiam Siciliæ
rege post mortem Anacleti ipsi Innocentio reconciliato, soli
Tiburtes, Prænestini, Tusculani, & Albani obsequium Inno-
centio denegabant. Tiburtes Romanos acie victos in turpissi-
mam fugam conjecere. Ea re irritati Romani, majoribus co-
piis eos adoriuntur. Eos sese dedentes Innocentius recepit.
Romani verò cùm acerbiore pœna dignos censerent, neque
Pontificem in suam sententiam pertrahere possent, ab eo de-
fecerunt, ordinem senatorium instituerunt, nec vel diris de-
voti ad officium redierunt. Innocentio interim præ mœrore
mortuo, & Cœlestino II. subjecto à Cardinalibus, populo
excluso, post etiam Lucio II. novum Romani tumultum ex-
citaverunt. Etenim sacerdotibus, quos instituerant, non con-
tenti, Patricium celsioris magistratum fastigii adjecerunt, ac
vectigalia omnia tam urbana, quàm peregrina Pontifici ere-
B pta, ei attribuerunt, Pontificemque sacris decimis, & largitio-
nibus dignitatem tueri suam jusserunt. Ea dignitas delata
primum est ad Jordanem, Petri Leonis filium, hominem in Ur-
be vetere nobilitate, ac populari gratia potentissimum. Quas
actiones Lucius primùm blanditiis impedire contendit: de-
inde inanes eas expertus, armis Capitolium aggressus, ictu
lapidis percussus interiit. Ei suffectus Eugenius III. Romani
interim Arnoldi Brixiani hæretici concionibus instigati, tur-
res aliquot laicorum, clericorumque nobilium deturbarunt,
basilicam Vaticanam ceperunt, ac peregrinos religionis cau-
sa Romam profectos expoliarunt, quique mulctam petitam
pendere recusarunt, eos in porticu miserè trucidarunt. Ne-
que his contenti, literas, ac legatos ad Conradum Regem in
Germaniam misere, eumque ad delendum dominatum in
Urbe Pontificum vocavere. Eugenius Tiburtes, cæterosque
Latii populos, quorum causa ad eum furorem Romani vene-
rant, ad arma sollicitavit: atque ipsos eorum ope Romanos
invasit. Romani cùm per aliquot dies acerrimè restitissent,
tandem tectorum eversionem, patriæ, fortunarumque amissio-
nem extimescentes, pacem petierunt, eamque demùm his con-
C ditionibus impetrarunt, ut Patricium abrogarent. Præfectum
restituerent, senatores ex pontificia auctoritate tenerent, &
Arnoldum turbarum concitatorem Urbe eiicerent. Eugenius
proinde in Urbem revertit, populo, cleroque faustis vocibus,
Benedictum esse, qui veniret in nomine Domini, concinente.
Anno seq. Romani, rursus ab Eugenio, ut Tibur everteret,
postularunt. Qua re disertè negata, usque adeò exasperati
animis sunt, ut se, ni quod peterent impetrarent, vim adhibi-
turos ostenderent. Itaque Eugenius consilio cum cardinali-
bus habito, pedum pulvere ad terrorem iniiciendum in eos
excusso, trans Tiberim unà cùm Cardinalibus, populo ipso
telis, missilibusque eos hostiliter incessente, atque inde Tibur
contendit, in Galliam abiturus. Inde reversus in Urbe qui-
dem habitavit, sed Romanis parùm gratus fuit, pontificium
jugum magna obstinatione renuentibus. Tandem Henrico
VI. anno 1191. Romam ad Augustalia accipienda insignia
proficiscente, gerebant adhuc bellum atrox Romani cum
Tusculanis, ut qui ad veteres iræ causas cladem proximis an-
nis ad montem Porcum acceptam animo acerbissimo ferrent,
D nec Tusculani assiduis contentionibus agitati spei pluri-
mùm in pontificio ampliùs auxilio reponebant. Itaque post-
quam Henricum præter spem ad Urbem adventare senserunt,
legatis obviàm missis ei se tradiderunt: atque in fidem ab eo
recepti. German cum præsidium intra oppidum suscepeerunt.
Ea re offensi Romani, ad pristinam, qua erga Fridericum I.
Henrici patrem usi fuerant, ferociam rediere: atque ei castra
ad Vaticanum ex instituto habenti nunciis missis denuncia-
vere se, nisi sibi Tusculum traderet, ingressum Vaticani prohi-
bituros, atque ei coronam Augustalem interdicturos. Henri-
cus neque Tusculanos hostibus prodere, suæ esse dignitatis pu-
tabat, & arma cum Romanis conferre, bello Siculo, quod in
manibus habebat, inutile existimabat: demùm media illa sen-
tentia placuit, ut Tusculum in manibus Pontificis poneret.
Cælestinus III. ergo in die Resurrectionis consecratus, po-
stridie Henricum Imperatorem recepto Tusculo consecravit.
Eo Urbe profecto, Romani Cœlestinum aggressi Tusculum
postularunt, seque, ni dederetur armis recepturos denuncia-
runt: idque Cœlestinus, ne aut verus discordia instaurare-
tur, aut nova aliqua ipsius cum pernicie Ecclesiæ inchoare-
tur, concessit. Romani demùm Tusculum post tot ancipites
bellorum contentiones adepti, iram cohibere non potue-
runt: ac veterem multorum annorum odio in Tusculanos opi-
bus ea tempestate florentes effuso, oppidum cum tectis om-
nibus everterunt: neque per hæc tempora, quæ secum in-
gentia Italicarum excidia urbium attulerunt, urbis clades, aut
tectorum disturbatione atrocior, aut acerbo inimicorum sæ-
vientium odio indignior fuit, quippe lapides etiam oppidi
Romam translati, atque in Capitolio ad exsatiandam quoti-
diano hostilis ruinæ aspectu iracundiam positi sunt, quin etiam
plerique nobilium, aut membris mulctati, aut per sævissimos
cruciatus necati sunt. Reliqua turba, aut in vicina castra mi-
gravit, aut patrii amore soli novas sibi sedes in eisdem locis,
sed angustiores, humiliorésque paravit. *Sig. lib.15. regni
Italici.*

Henricus VI. Imp. cùm in Sicilia quidam rebellassent,
gravibus eos suppliciis mulctavit, quibusdam occisis, qui-
busdam verò luminibus privatis, quibusdam excoriatis,
nonnullis stipite affixis terræ: aliquibus, qui regium aspi-
rabant nomen, ignei coronis redimiti. Ac ne deinceps
(ut est infidum genus hominum in exteros) Siculi de-
nuò jugum excuterent, multa in regno præsidia locavit.
Cuspin.

Hartuicus Bremensium archiepiscopus, certis pactioni-
bus ab Adolpho Holsatorum comite Diethmarsos receperat.
Ipsius verò non pro voto archiepiscopo parentibus, archiepis-
copus longè, latèque pagos incendiis, ac rapina vastans, tan-
dem eos compulit deditionem facere, ingenti pecunia pro-
missa. Adolphus Holsatiæ comes stipendium postulabat.
Archiepiscopus, cùm non esset solvendo, redditus suos in trie-
nnium abjurare coactus est. Diethmarsi interim colla sua
Slesvicensi Episcopo submisere, dictitantes, æquè sese S. Petro
servituros, qui tam Slesvici quàm Bremæ esset patronus: da-
tisque obsidibus, Danico Episcopo fidem adstrinxerunt.
Cronitzius Saxonic.l.6.cap.53.

Hungarorum regno potitus Bela II. oculis orbatus à Colo-
manno fratre, regnum filio Stephano stabilire nitenti, pacis
studiosus, & de honestis legibus pro regni salute condendis
admodùm sollicitus fuit. Cæterùm Helena conjux graviùs
in eos, qui excæcationis auctores extiterant, animadvertit, ne
quis posteà in principem virum tale quid tentare auderet: se-
xaginta octo variis tormentis necavit, alios vel perpetuis car-
ceribus, vel exiliis longissimis cum conjugibus, & liberis mul-
tavit. *Bonfin.l.6.Decad.2.*

Bistricium Transylvaniæ oppidum Ladislaus rex, cùm
Viennæ ageret, Joanni Hunniadi dono dedit. Tulerunt id
ægrè oppidani, diùque restitere, coacti tamen imperata
fecerunt. At mortuo Joanne, ejusque filio Ladislao Bu-
dæ securi percusso, Michaelem Zilagum, qui pro Ma-
thia altero Joannis filio nepote ex sorore urbem petebat,
turpiter rejecerunt. Ille indignatus quamprimùm Ladislai
regis mortem accepit, eò cum exercitu rediit, vi oppi-
dum expugnavit, rebellium civium aliis oculos eruit,
aliis manus amputavit, tandem ignem urbi iniecit. *Æneas
Sylvius cap.2. Europæ.*

Paulus Kinisius, inferioris Hungariæ præfectus, cùm
præsidiarios milites de Alba Græca Turcis prodenda consi-
lia habuisse audisset, in carcerem fœdissimum conditos, sin-
gulis diebus eorum singulos hœdorum in modum veru præ-
fixos, & ad ignem diligenter assatos, sociis vescendo ap-
posuit: identidem ad indignum cruciatum asperitate con-
vicii cumulandum, ut proditorum caro ad palatum ref-
ponderet, interrogans. Novissimum autem eorum nemi-
ne omnium extante, cui ipse cibus apponeretur, lenta
inedia, cibique necessarii subtractione confecit. *Bonfin.lib.3.
Decad.5.*

Petrus Lusignanus II. Rex Cypri, contendentibus Ve-
netorum, & Genuensium legatis de superioris honoris loco, pro
Venetis sententiam dixit. Hi ægrè hoc ferentes in Venetos se
ulcisci cogitant, ac assumptis sicis sub vestibus, quibus Venetos
interficere volebant, aulam ingrediuntur. Rex verò hujus rei
certior factus, Genuenses legatos comprehendi jubet, sicas
deprehendit, criminis læsæ Majestatis arguit, in altissimam
turrim duxit, inde octo (tot enim eorum fuerant) præcipites
dat substituta militum cohorte, qui cadentes erectis mucro-
nibus exciperent. Reliquos etiam Genuenses per totam insu-
lam trucidari mandavit, excepto uno vulnerato, qui in pa-
triam

triam reversus tantæ cladis nuncius esset. *Platta. in Greg. XI.*
A *Blond. l.10. Dec.2.*

Ferdinandus Neapolitanorum rex, confecto bello Nea-
politano, exulibus ex fœdere reductis in præsentia ignovit,
paulò post autem de omnibus, præter Salertinatum principem
& Biasmianensis liberos, qui vix astu evaserant, ficta fœde-
ris religione, supplicium sumpsit. Joannem Anton. Mar-
cianum, qui trigesimum jam & quartum annum in carcere af-
servabatur, trucidavit crudelis, & immanis. *Brutus lib.8.
histor. Flor.*

Fridericus Alberti Imp. F. dux Austriæ, confirmatus ab
Henrico VII. Imperatore, Austriacorum Baronum castra, &
munitiones diripuit, & solo æquavit. Viennenses cives ocu-
lis, naribus, manibus, pedibus detruncavit, equis adalligatos
discerpsit, rotis fregit, ense, ac laqueo obedientes reddidit:
coegitque, ut se Dominum, ac principem agnoscerent. *Cus-
pinianus.*

Joan. XII. Pontifex, cùm accepisset è Cardinalium nume-
ro duos ad Italiæ, totiusque Ecclesiæ salutem per litteras co-
hortatos esse Othonem imperatorem, ut consestim in Italiam
descenderet; alteri eorum nasum, alteri manum, qua scrip-
serat, amputavit. *Fulg. l.9. cap.5.*

Frigerinus Capivacius Patavinus, cùm in Bassano agri
Patavini oppido militiæ præesset, idque validissimo præsidio
B tueretur: sua singulari prudentia deprehendit, quibusdam
militibus de prodendo Venetis oppido esse secretò inter se
conventum, & diem certum conficiendo sceleri constitutum.
Quamobrem illicò deprehensos, sceleristque convictos, inau-
dito mortis genere fontes illos omnes affecit: alios quidem,
qui Centuriones erant, sensim comburi jussit, & assatos ca-
nibus devorandos dari: alios per septem horas (tamdiu enim
supervixerunt) forticulis candentibus incidi: auctorem ve-
rò proditionis, diù tortum ex baleari tormento, ut lapidem in
aera jaculari mandavit. *Sub Francisco Carrariense Bero. Scard.
lib.3.historiæ Pat.*

Galli, qui Cajetæ præerant, cùm navem longam remigibus
instruere vellent, municipesque imponere, illi se cogi passi
non sunt, palàmque prædicaverunt, nolle se contra Ferdi-
nandum regem, post discessum Caroli VIII. regis Franciæ,
suum regnum repetentem, duci: atque ad arma capienda
profilierunt. Galli eos veriti, se in arcem oppidi recepe-
runt, atque ad auxilia proximis ex oppidis evocanda mise-
runt. Quibus abductis magnam civium cædem fecerunt,
magnam in oppidanos strागem ediderunt, matribusfamilias,
C & virginibus vulgò in servitutem, atque libidinem abductis.
Quæ intellecta res Neapolitanorum animos jam antè infensos,
& labantes ab Gallis magnopere avertit. *Bembus lib.3.Ven.
histor.*

Joannes Basiliades, Moschorum tyrannus, anno Salutis
1569. Novogrodenses, quòd ad Polonos spectare viderentur,
ex improviso aggressus est. Septingentos milites à fronte à
tergo, & ad latera quaquaversus præmisit, qui omnes
viatores cujuscunque conditionis essent, è medio tollerent,
ne expeditionis nuncius ullus ad Novogrodenses penetraret.
Agrum omnem incendiis, & cæde funestavit, cœnobia 175.
evertit, præmissis aliquot millibus urbem Russiæ clarissi-
mam occupavit: in cives nobiliss. ad tria ferè millia in dua-
bus areis congregatos septis circumdatos ligneis equo inve-
ctus, nullo ictu frustrato, suis crudeliter conficiendos pro-
posuit. Non paucos in flumen gelu concretum, quod me-
diam civitatem interluit, compulsos, glacie undique circum-
D cisa demersit. Ceræ & pellium vim maximam flammis spon-
tè absumpsit. Nervium civitatem Livoniæ finitimam, No-
vogrodensium emporium diripuit: Pauperes, & mendicos,
quorum aliqui fame urgente interfectorum carnibus vesce-
bantur, ad unum omnes trucidavit, & in profluentem abje-
cit. Ab Archiepiscopo (qui lingua Ruthenica Wladika
dicitur) ad prandium invitatus, inter prandendum templum
sanctæ Sophiæ ditissimum (ad quod omnes ferè cives the-
sauros suos quasi in locum tutissimum comportarant) spo-
liari jussit. Prandio peracto Archiepiscopum omnibus or-
namentis, vestibusque Archiepiscopalibus exuit, & uxo-
tem ducere jussit, quam ipse vellet. Abbates, & Monasterio-
rum Priores, qui prandio intererant, ad nuptias Archiepis-
copi invitavit, ita ut singuli protelii loco confertent the-
sauros suos. Subinde equam albam fœtam adduci jussit,
eamque Archiepiscopo digito indicans, dixit: En uxorem
habe, tuam, ascende super illam: & Moschoviam proficis-
cere, illicque te in contubernium tibicinum, & citharœdo-
rum, qui visos saltatores ducunt, confer. Pedibus sub ven-
L. B. Theat. vit. Human. Tom. II.

trem equæ colligatis, addita fuere instrumenta musica, lyra,
fistula, tibia, & cithara, quæ per totam civitatem instare, & E
pulsare (nunquam licèt in hoc genere musices exercitatus)
compulsus est. Monachos inde, & Abbates, cæterosque Ec-
clesiasticos securibus discecuit, lanceis confodit, aquis ob-
ruit. Magni nominis virum Theodorum Sircovium, captum,
ad se ductum, fune longo medium alligatum in fluvium
Volchovu demersit; mox extractum interrogavit, quid in
fundo fluvii vidisset? Respondet ille: Omnes dæmones, qui
in hoc flumine, & in lacubus Ladoga, Sladoga, Warminaque
degunt, ad tuam animam in Tartaro demergendam congre-
gatos vidi. Tum ille: At ego pro hoc oraculo gratiam tibi
præstabo. Confestim igitur crura ejus in aheno aquæ ferven-
tis immersit, donec omnem thesaurum indicaret: erat enim
ditissimus, duodecimque monasteria suo sumptu erexerat.
Itaque triginta florenorum millia monetæ argenteæ indicavit.
Tandem cum fratre Alexio jussu Principis membratim disseca-
tus, in fluvium projectus est. Eadem crudelitate in Pskovo-
viam urbem Novogrodiæ non absimilem grassaturus erat. Ci-
ves extrema sibi imminere videntes, singuli mensas ante ædes
suas adornaverunt, sale, & pane superimposito. Apud Mos-
chos enim pane gratia, sale amor significatur. Obviam de-
inde magno Duci exeuntes, ad panem cum sale comedendum
humiliter eum (ut gentis mos est) invitaverunt. Hac hu-
militate Pskovienses nonnihil placatus, iis pepercit: ci- F
ves tamen, mercatoresque ditiores auro, & argento emunxit:
Monachos etiam quosdam trucidavit, membratim discecuit,
aquis obruit, & duas basilicas spoliavit, campanas omnes ab-
stulit. Tuveriam civitatem insignem eadem, qua Novogro-
diam, immanitate diripuit. Moschovitæ centum quinqua-
ginta egregii viri, pertæsi tyrannidem illius, & ferocia satel-
litum, constituerant se recipere ad Regem Poloniæ. Re de-
tecta Joan. Basiliades, jussit omnes in loco cœnoso in modum
pontis sterni, & tamdiu calcari, donec in lutum verterentur.
Alex. Guagn. in Mosc.

Perfidiam Privatam.

Tigranes, Armeniorum rex, in venatione collapso equo,
cùm humi jaceret, majorem natu filium, quia parentem non
juverat, & mortuum arbitratus ejus diadema capiti suo impo-
suerat, jussit interimi. *Fulg.l.5.c.8.*

M. Antonius Triumvir Uxori Q. Ciceronis fratris Pom-
poniæ tradidit Philologom libertum, qui Ciceronem prodi-
derat. Quæ potestatem ejus nacta cùm aliis cum diris suppli- G
ciis excruciavit, tum carnes suas ipsum præcidere paulatim,
eas assare, inde vorare adegit. Nam ita nonnulli scriptores
memoriæ prodiderunt. Ipsius Ciceronis libertus Tiro nul-
lam prorsus mentionem fecit Philologi proditionis. *Plut. in
Cicer.*

Injuriam Non Vindicatam.

Pausanias Macedo, per vim stuprum passus ab Attalo,
provocavit ad Philippum, injuriamque non sine magna queri-
monia ad eum detulit. Quem cùm ridentem facinus, idque
risu probantem conspiceret, iram in eum convertit: exegit-
que ultionem ab iniquo judice, quam à stupratore non poterat.
Trogus Justin. Diod.

Joan. Andreas Lamponianus Mediolanensis Galeacium
Sforciam Ducem, quòd sibi haud satis favisset in ea rerum dif- H
ficultate, quæ illi erat cum Episcopo Comensi, Branda no-
mine: tribus comitibus in divi Stephani templo, dum sacris
interesset, multis spectantibus interfecit. Quem ubi principis
lictores insecuti in ipso templo vulneribus peterent, clamabat:
Petite me & confodite, sic enim perlibenter morior. *Egn.
l.1.cap.3.& Sab.l.4.cap.6.*

Inobedientiam Tum Publicam
(ut Leges neglectas) tum privatam.

Astyages Medorum rex, ægrè ferens, quòd Harpagus pro-
curator suus Cyrum nepotem (quem exponi jusserat) non
interfecisset: dissimulata iracundia, Harpagum ad epulas
invitavit, ejusque filium tredecim annorum patri inscio epu-
landum appositit. Qua injuria accensus Harpagus, Cyro au-
ctor fuit, ut Astyagem regno exuerit. *Herod.l.1.*

P. Crassus Mutianus, Asiæ proconsul, oppugnaturus Leu-
cas oppidum, scripsit ad architectum Athenienses, ut ex ma-
lis duobus, quos apud eos vicisset, majorem ad se curaret

perferendum. At eùm Architectus rescivisset, quam ob rem
A Mutianus malum desideraret, non majorem, sed quem magis
idoneum, aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu
existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari jussit: & cùm
interrogasset, cur non quem jusserat misisset: causis, ratio-
nibusque, quas dictitabat, spretis, vestimenta detrahi jussit,
virgisque multum cecidit. *Gell. l. 1. cap. 13.*

Cùm Lucretius Offella consulatum à L. Sylla dictatore
peteret, quòd ipsius opera Sylla urbem Prænestè cepisset, at-
que juniorem Marium evertisset: Sylla autem nutu consula-
tum negaret, neque ob id Offella rogare desineret: Sylla, qui
in foro deambulabat, manu sua eum interemit, atroxque faci-
nus graviore verborum atrocitate auxit, cùm populo, qui in
concionem venerat, aratoris fabulam narraret. Pediculorum
enim morsu vexatum (omissa oratione) vestem, ut poterat,
manu sua purgasse, dixit: sed cùm denuò earum bestiolarum
morsibus peteretur, eandem diligentiam iterùm adhibuisse: &
cùm ob id molestia non liberaretur, vestem ipsam, pediculoso-
que simul in ignem conjecisse. Ob eam rem cohortatus est
B omnes, ne ultrà ei molesti essent, nisi eadem, ab ipso perpeti
cuperent. *Fulg. l. 9. cap. 5.*

L. Domitius prætor Siciliæ, illùm, qui sibi dono aprum at-
tulerat, cruci affixit: cùm comperisset, vi teli feram captam,
quod anteà per edictum vetuerat. *Val. Max. l. 6. c. 3.*

Prætor ad vicum Iriæ proscriptos ex indice quosdam exules
factiosos, atque sicarios persequi, captosque statim laqueo
necare jussus, propinquorum precibus pœnam tandiù suspen-
derat, donec Ticini Galeacius II. Vicecomes adiretur. Ex
ea cunctatione Galeacius, quòd jure actum credebat, amici
supplicantibus facilè damnatorum vitam quidem concessit:
sed mox prætor, tanquam officii oblitus, fontibus servatis,
atque ante carceris inspectantibus, securi ictus est. *Jov. in vita Galeaci.*

Alfonsus Atestinus dux Ferrariensis, una in re ninis seve-
rus, & quibusdam immodicè terribilis videri poterat, quòd
suburbanos agricolas, proprias ipsius principis venationis
& aucupii voluptates intercipere ausos, proposito edicto se
laqueo punituram minaretur: eo tamen humanitatis tem-
peramento, ut ejus edicti severitate in speciem tantùm ute-
retur, cùm atrocis maleficii quosdam damnatos, falso appo-
C sito titulo deterrendos rusticagos homines in furca suspendi
juberet, appensis scilicet ad collum fasianis, ut in eo præ-
dæ furto deprehensi vulgò crederentur. *Jov. in Alfonsi Atestini vita.*

PROBITATE, VIRTUTE.

UT PER

Consilium amicum.

Darius rex, audita Imperatoris sui Memnonis morte,
consilium amicorum habuit, quo quærebat, utrum duces cum
exercitu ad res maritimas mittendos censerent: an ipse rex
adductis omnibus copiis in aciem prodire deberet. Reliquis
omnibus posterius hoc suadentibus, quòd Persæ omnes cupi-
dissimo animo decertaturi essent: Charidemus Atheniensis
virtute, & prudentia præstantissimus contrarium, ne temerè
imperium suum proderet, suasit, sed ducem prudentem contra
Macedonas mitteret. Ad quam expeditionem centum millium
peditatum sufficere dicebat, si eorum tertia pars essent Græci
D stipendio conducti: pollicebaturque in majorem rei fidem se
illud bellum confecturum. Cùm verò ad hoc ipsum in suspi-
cionem apud amicos regis veniret, quasi res Persarum Alexan-
dro proditurus esset: concitus ira, Persis ignaviam & timiditat-
tem apertè cœpit exprobrare. Rex offensus, Charidemum
zona comprehensum, apparitoribus interficiendum tradidit.
Qui cùm ad supplicium traheretur, exclamavit, Brevi regem
pœnitentia affectum iri, atque injuriæ sibi factæ amissione re-
gni pœnas daturum. *Diod. l. 17. & Sab. l. 4. Enn. 4.*

Cùm exercitus Romani Pontificis, & Veneti Senatus, pro
libertate Patavium oppugnaret: Minius Smaniosus Pataví-
nus, in præsidio cum Ansedisio Acciolini tyranni constitutus
suadere ei cœperat, ut quando ampliùs armis præfecto resi-
stere non posset, sese ultrò pro impetranda venia hosti dede-
ret. Tunc Ansedisius, ut immanis bellua, ira percitus, quòd
ea sibi protulisset desperationis verba, ense, quem exertum
habebat, unico eum ictu transfixit. Ea cæde patrata, per por-
tam S. Joannis urbe relicta, quantum valuit concito equi cur-
su contendere, celer aufugit (quem mox Tiso Campisam-
petrus, ubi id rescivit, frustra per quatuor milliaria insecutus
est) ad Acciolinum avunculum, à quo statim interfici jus- E
sus est, eadem scilicet rabie & furore, quo & ipse paulò ante
innocentem Smaniosum interfecerat. Sunt qui scribant ab
avunculo, ob suspicionem, quasi Patavium hostibus prodi-
disset, tamdiù tortum fuisse, quoad ejus viscera paterent,
in equuleo suspensum semilacerum, longo, & intolerabili do-
lore, quo injustè multos affecerat, æquè miserabiliter interis-
se. *Bern. Scad. lib. 3. hist. Par.*

Selimus Turcarum tyrannus, contra Amurathem nepotem
in Armeniam ducebat. Verùm ob itineris difficultatem, &
pericula Chendemus Bassa summæ auctoritatis suadere cœpit,
ut in Cappadocia subsisteret, exercitum ab labore viæ reficere-
ret, atque illic hostium adventum opperiretur. At reliqui du-
ces Chendemi gloriæ, atque opibus invidentes, ejus fidem
suspectam tyranno reddebant. Eum Selimus præpropera
crudelitate præceps, inauditum, ac vera monentem, interfici
jussit, ut cæteros à simili dicendi libertate deterreret, doce-
retque ea esse optima consilia, quæ imperator divina veluti
ratione reperisset. Sed eventus docuit, tutius fuisse Chende- F
mi consilium: & id tyrannus ipse facilè agnovit. Nam 30.
millibus suorum missis, & tormentis bellicis relictis, quibus
solis victoriam licèt dubiam reportarat, fugienti similis Persa-
rum finibus excessit. *Sab. supplem. l. 4.*

Hospitalitatem.

Saul Judæorum rex cùm audivisset Davidem sibi exo-
sum, ab Abimelech in Nobe civitate hospitio susceptum:
civitatem incendit, hominibus utriusque sexus interemptis.
1. Reg. 21.

Gerhardus comes de Mansfelde, Carolo IV. imperante,
monasterium Cistercienſem Setichenbeke, cujus fratribus erat
infestissimus, funditùs evertit, quòd hostibus suis favisse, hos-
que hospitium non negasse dicerentur: cùm tamen hospitali-
tas illi ordini injuncta, & qui venerant armati, facilè coe-
gissent, si non promptè impetrassent. Abbatem loci perticæ
alligatum inter duos jussit ignes torreri, fratribus per diversa
supplicia crudeliter enecatis, quòd Fridericum Missniæ mar-
chionem in se ducentem, & cum exercitu de obsidione Islevæ
redeuntem excepissent. *Crantz. l. 9. Saxoniæ, c. 33.* G

Pacis Studium.

Visigothi Ataulphum regem, quòd pacem cum Honorio
Imperatore iniverat, occiderunt: quanquam regnum ingenti
animo, Italia, atque urbe Roma direpta, administrasset. *Fulg. lib. 9. cap. 8.*

Dani Ericum VIII. regem suum, pacis studiosissimum, nec
unquam ab externo hoste impetitum, pacis odio interfecerunt.
Crantz. l. 7. Dan. cap. 24.

Humanitatis Officium.

Quidam Vulodimirus Morozovius Palatinus, annis me-
ritisque gravis, sepelire curaverat quendam Joan. Basiliadis
magni Moschorum Ducis jussu interfectum, famulum Ducis
Curpiskii, qui ad regem Poloniæ defecerat. Itaque subitò
conjectus est in carceres: inde extractus, & oblatus magno
Duci in aula regia, Alexandrouva dicta, in tormentis expira-
vit, & cadaver in aquas projectum est. *Alex. Guagn. in Mosc.*

Urbanitatem.

Archiepiscopi Magdeburgensis Theodorici tabellio, qui
sequebatur ducem Saxoniæ, federat in urbe Barlinensi in Sa- H
xonia ad mensam principis. Immissi Barlinensium civium com-
munis Justitiæ ministri, scribam pertrahunt ad supplicium,
publico cædentes gladio, nulla prætensa alia causa, quàm quod
nuper, cùm ad balneum properaret, obviam sibi dominam
notam, familiariter per jocum sollicitarat, ut balneo secum
uteretur: nec vim aliam intulerat, recusantem cum risu di-
mittens. *Crantz. l. 9. Saxoniæ, cap. 35.*

Indicium, Nuntium.

Tigranes, arma in eum L. Lucullo movente, illi qui pri-
mus hujus rei nuncium tulit, pro munere caput ademit. *Fulg. lib. 9. cap. 5.*

Venceslao, Boemorum regi, cùm Hussitarum seditio
narraretur, cunctique circumstantes facinus detestarentur:
At ego (inquit pincerna) futura hæc præscieram. Eum rex
correptum repentè ante pedes suos prostravit, & arrepto
pugione conatus est interficere. Sed impeditus à circum-
stantibus, & paralysi correptus, infra octo, & decem dies, si-
gnatis nominibus hæreticorum, quos neci destinaverat,
fratrem

fratrem Sigismundum Hungariæ regem assiduè vocitans, &
A amicorum auxilia anxius expectans, ante vita excessit, quàm
vocati principes adessent, cùm regnasset annis quinque, &
quinquaginta, vixisset, duobus ampliùs. *Æneas Sylvius c. 37. hist. Boem.*

Fidem erga suos.

Cùm quinquaginta Danai filiæ patrueles suos, Ægysti fi-
lios, prima nuptiarum nocte interemissent: Hypermnestram
Danaus in judicium vocavit, quòd una ex omni filiarum
numero Lynceum maximum conservando, patris imperata
facere neglexisset. At Argivorum illa sententiis in vico, qui
ex illo judicio Criterius fuit dictus, contra patrem quantum-
vis regem, absoluta fuit. *Pausanias in Corinth.*

Darium Hystaspis F. Persarum regem, refert Seneca, pa-
rantem expeditionem adversùm Scythas, rogatum ab Arta-
bazo nobili admodùm sene, ut è tribus liberis, quos rex ipse
secum duceret, unum ei in ætatis suæ ingravescentis jam so-
latium relinqueret, & tanquam senectutis baculum: respon-
disse. Plus se, quàm ille rogasset, præstiturum: tresque eos
B unà ad patrem remissurum: confestimque occidi eos cùm
jussisse, atque ante patris conspectum cruentos abiici. *Pontanus libro de Immanitate, cap. 11.*

Pythius Atys F. Lydus, qui Celenis in Phrygia habita-
bat, cùm Xerxis exercitui epulum dedisset, regique omnia
sua bona dono obtulisset: ex quinque filiis, quos habebat,
petiit, ut natu maximo militiæ vacationem rex permitteret.
At Xerxes indignatus maximum natu filiorum Pythii me-
dium discindi, & patribus utrinque ad viæ latera erectis,
exercitum transire jussit. *Herod. l. 7.*

Expugnata pridie calendas Majas ann. 1527. à Caroli V.
exercitu Roma, obsidendæ arcis, in quam Clemens VII. Pont.
confugerat, circumvallandæque, perducta in gyrum fossa,
Philippus Cerbellio, & Mendinus Hispani, negotium suscepe-
runt tanta acerbitate, ut vetulam in arcis fossam lactucas
deferentem, quæ experenti Pontifici dono darentur, laqueo
immaniter strangulatam, in conspectu arcis suspenderint:
puerosque item, qui onera funiculis extrahenda alligabant,
sclopetis interfecerint. Is postèa Neapolitano bello in oppu-
gnatione Monopolis glande ictus periit. *Jovius in Pompejo*
C *Columna.*

CRUDELITAS CONSIDERATA RESPECTU EFFICIENTIS.

Nempe.

QUIS, QUALIS: Sive consideretur.

Per se. Huc crudeles *Populi.*

Tanta erat barbaries, immanitasque Scythicæ gentis, ut
ipsa etiam appellatio cesserit in proverbium: quemadmodum
hodie crudelem hominem appellamus Turcam, & immane
facinus, Turcicum. Æschines in oratione περὶ παραπρεσβείας.
καὶ δοῦμα σώσαί με, καὶ μὴ τῷ λογογράφῳ, καὶ σκύθῃ κακῷ ὄντι παραδοῦναι.
Obsecro, ut servetis me, nève logographo, maloque Scythæ
me tradatis. Refert *Athen. l. 12. c. 7.*

Scythas olim opibus, ac deliciis florentes, in tantam ve-
D nisse ferociam, ut quoscunque populos adissent, summas na-
res viris amputarent: horum mulieres Thracum uxoribus cor-
pora fabulis pungerent: denique cunctis sub illorum domina-
tu lacrymosa fuerit servitus, ut in posteros derivatum sit
proverbium ἡ ἀπὸ Σκυθῶν βίβος: id est, Sythica jussio, sive
præscriptio. Tandem multis circumventi malis, cæsariem do-
loris causa popularitèr deposuere. Unde ἀποσκυθίσεως dicitur,
ferro cæsariem amputare: quod præter Athenæum indicat, &
Stephanus. Denique σκύθρωπος, & σκυθρωπός, pro torvo, tristi,
austero, ac truculento, ab ejus gentis moribus dictum videre-
tur, & σκυθίζειν irasci, quòd ea gens sit supra modum iracun-
da. *Erasmus in Proverbiis.*

Helotum genus crudele fuit prorsus, & asperum, jam olim
à Spartanis in servitutem redactorum: quorum alii sunt ex
Messena profecti: alii, qui Helos vocatam civitatem priùs ha-
bitarant, Eleatæ sunt dicti, *Athen. l. 6. cap. 7. ex Theopompi lib. 8. rerum Græcarum.*

Nihil extra figuram hominis Tartarus, nihil fera bellua,
in feritatem sanguinolentam semper ruens, quam cibus quo-
que cruentus exauget: cruore enim, venis equi incisis, &
carne tantùm non cruda vescitur, neque enim illam ad ignem E
vel torret, vel elixat, sed sub sellam, in qua residet, positam,
ponderequeque corporis sui arefactam, statim devorat, sine sa-
le, sine pane, quem in usu non habet: ideòque agriculturæ
minimè studet, sed pascua tantùm colit, vivitque crudelis ex
rapto, atque bello. Torvus, turgidusque Thataris, & horridus
vultus inest, oculi cavi, & truces, caput turbinatum, circumra-
susque contra mentum turpiter hirsutum, intonsumque, totius
denique corporis habitus deformis, atque servilis. *Dubravi. l. 16.*

Sveci suo more vindictam pertinacissimè sitiunt: neque est
ulla gens, quæ tardiùs ad iram provocetur, quæque injurias
actiùs vindicare contendat. *Joan. Magn. lib. 7. c. 7.*

* Hetrusci Italiæ pop. ne quidem parum feroces in pœna
excogitanda fuere: Hi enim vivorum corpora cadaveribus ad-
versa, ad versis alligata, atque constricta, ita ut singulæ partes
membrorum singulis essent accommodatæ, tabescere simul
patiebantur, amari vitæ pariter, & mortis terrores. Unde
Virgil. lib. 8. Æneid. de eorum rege Mezentio.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora.
Tormenti genus, & sanie, taboque fluentes F
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Pontifices.

☞ *Ex Tit. Crudeles erga supplices, huc quædam.*

Urbanus VI. contra quem Clementem VII. Galli Antipa-
pam crearant, Nuceriæ septem Cardinales tanquàm cum Cle-
mente sentientes in vincula conjecit: & Caroli Neapolitani re-
gis metu cum suis Genuam profectus, ex septem Cardinalibus
Nuceriæ captis, quinque in mare demersit. *Platina & Blondius. Crantz. l. 9. Metrop. cap. 1. & l. 10. cap. 20.* quosdam ait in
carcere strangulatos, stabulo insossos fuisse.

Episcopi.

Athanasius patriarcha Constantinopolitanus, cùm calum-
niatores suos pœna tantùm carceris affici videret, quos ille
morte dignos censebat, præ indignatione dignitate se sponte
abdicavit. *Gregorius l. 7.*

Memnon Ephesinus Episcopus, sub Theodosio, & Valen- G
tiniano Impp. orthodoxus, invidus tamen, & iracundus adeò,
ut Brussianum, Ecclesiæ Ephesinæ peracceptum, removere
conatus sit, honesta tamen specie, quandoquidem Vangen-
sium Episcopum eum ordinavit. Verùm cùm Bassianus recu-
sare ad eam Ecclesiam ire, adeò ira inflammatus est, ut ad
horas tres ante ipsam aram graviter plagis eum afflixerit ad
sanguinem usque, ut cruore etiam altare, & sacri Evangelii
codex aspergeretur: ac insuper eum excommunicarit, ut pa-
tet XI. *actione Chalcedonensis concilii.*

Januarius Episcopus Caralitanus, Isidorum, virum clariss.
à quo injuriam acceperat, excommunicaverat. Januarium
proinde *D. Gregorius Pp. 2. Epist. 34.* vehementer reprehen-
dit, quòd vindictæ privatæ causa publico anathematis gladio
usus esset, oblitus charitatis Christianæ, & officii episcopa-
lis: neve hoc genere vindictæ deinceps uteretur, severè inter-
dixit.

Andreas Tarentinus Episcopus, mulierem quandam de
Matriculis fustibus crudeliter cædi fecerat. Ea propter à D.
Gregorio Pp. duobus mensibus ab administratione missarum
suspensus est: ut qui bonorum sacerdotum exemplis ad rectè H
agendum non moveretur, malorum pœnis compelleretur.
L. 2. Epist. 84. & 85.

Giselbertus de Bronckhost, Archiepiscopus Bremensis,
cùm ei controversia esset cum Kedingis, Albis fluminis ac-
colis, & pro consuetudine omnium palustrium contumacibus:
dissimulata indignatione, ad hastiludium suos, ac finitimos
convocavit Stadium. Ubi convenere armati, mox
movit in Kedingos, nihilo minùs quàm bellum formidantes.
Ibi rebelles cæsi sunt, aliquot capti: & rebus in hunc mo-
dum compositis, deinceps imperata fecere. Idem jam senex,
cùm calculo vexaretur, Kedingi ad contemptum ejus rediere
cum nonnullis Transalbianis: Tandem auxilio ducum Saxo-
niæ, & de Brunsuico, comitum Holsatiæ, & de Oldenburg,
exercitum immisit contumacibus Kedingis: & facta multa
strage, parere coegit. Angebat ea cædes decrepitum pontifi-
cem, ita ut morbus inde crescere. Novissima decumbentis
verba pœnitudinem effusi sanguinis indicavere. *Crantz. lib. 8. Metrop. cap. 36.*

Reges, Tyranni.

A *Vide post, Magistratus erga Subditos. Item Tit. Tyrannum. Illic improbitatis in genere, hîc iracundiæ κατ' ἐξοχὴν habetur ratio.*

ABIMELECH Gedeonis nothus, Sichimitas, quia se urbe, & tribu ejecissent, incautos adortus, agrestibusque intentos operibus, sine sexus & ætatis discrimine passim trucidavit: urbem vi captam diruit, sparsitque in ejus arca salem pro semine. Profugos inde, qui velut tutissimum asylum templum multæ religionis occuparant cum liberis, & uxoribus, circumdata lignorum strue, fumo & æstu crudeliter necavit. *Sabellicus lib. 8. c. 3.*

SAUL, qui primus rex fuit in Judæa, usque adeò excandescere solitus erat, ut non irasci, sed furere, & lymphari crederetur. Præceps ejus in filium Jonatham judicium, implacabilis in Davidem iracundia, in hostem pertinacia, quæ ne fatali quidem cessit necessitati, huic satis attestantur.

JOACHAZ filius Josiæ, rex Judæorum tam crudelis brevi extitit tempore, ut tropologicè cepisse prædas, & homines devorasse memoretur. Ad quem cum venisset Ægyptius, cepit eum non absque vulneribus, sive in fovea (ut propriè in B Hebraico continetur, ut conservet tropologicam captionem leonum qua semper in foveis capi solent) & abduxit eum in camo, sive in catenis in terram Ægypti, ibique mortuus est. *Hieron. l. 6. in Ezech. cap. 9.*

PINDARUS, Melanis filius, & Halyattis Lydi ex filia nepos, susceptа Ephesiorum tyrannide, cùm in reliquis benignus, & sapiens esset, in suppliciis tamen sumendis asperrimus, & inexorabilis fuit. *Ælian. l. 3. de Var. hist.*

ALEXANDER Phereus tyrannus, in Thessalia, Scotussanorum civitatem quibusdam de causis in crimen vocavit. Quos, cùm tenuissent, immissis in eos mercenariis, universos trucidavit, & cadaveribus occisorum in circumdatam mœnibus fossam projectis, urbem diripuit, & disturbavit. *Diodorus libro 5.*

AGATHOCLES Syracusiorum tyrannus, princeps aliàs humanissimus, & facetissimus, cùm per eam, quæ in conviviis existere solet, urbanitatem, eos, qui ejus imperium alieno animo ferrent, deprehendisset: eosdem aliquando privatim ad convivium rursus vocavit, adhibitis unà Syracusanorum C magnificentissimis, numero ad quingentos, eosque omnes trucidavit. Vehementer enim metuebat, ne postquam in Africam profectus esset, ejus imperium detrectarent. *Diodorus libro 20.*

ALEXANDER Magnus torvus erat, & implacabilis in delictis puniendis. Ex cohorte amicorum Menandrum, quòd in præsidio, cui eum præfecerat, detrectaret manere, necavit. Ex rebellantibus barbaris Orsodatem ipsemet confixit jaculis. *Plut. in Alexand.*

VALENTINIANUS I. Imperator adsimilavit nonnunquam clementiæ speciem, cùm esset in acerbitatem naturæ colore propensior: oblitus profectò, quòd regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt devitanda, nec enim usquam reperitur miti coercitione contentus: sed aliquoties quæstiones multiplicari jussisse cruentas, post interrogationes funestas nonnullis adusque discrimina vitæ vexatis: & ita erat effusior ad nocendum, ut nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni, cùm id etiam principes interdum fecerint sævissimi. *Ammianus* D *Marcellinus l. 30.*

JARMERICUS, Danorum rex, uxorem suam, Hunnorum regis filiam, pudicissimam, ac pulcherrimam, humi alligatam equinis obterendam calcibus præbuit: suis ex sorore nepotibus insidiosè comprehensis, laqueo spiritum eripuit: eorum tutores convivii simulatione necavit. *Saxo Gramm.*

Monachi.

Cùm Orestes, Alexandriæ præfectus, ægrè ferret, quòd à Cyrillo Episcopo Judæi ex urbe ejecti essent, nec ullo pacto reconciliari vellet: quingenti Monachi Alexandriam venerunt, & præfectum in publicum progressum convitiis, & lapidibus impetunt, ut facies ejus sanguine manaret. Vix eum populus manibus monachorum eripuit. *Socrates lib. 7. cap. 13.*

Magi.

Cùm Sagæ humanum sanguinem hauriant avidissimè, eas Apulejus nominat Lamias. Sic ea nominatur, quæ fectis faucibus Socratis (id sodalis Apuleii nomen) accubantis ei, atque dormientis sanguinem excepit vase, & obduxit plagam: quod expertectus Socrates se non sentire dicebat, sudificabaturque: & postridie tamen vita defunctus est. *Bodin.* E *in confut. opin. Vieri.*

Duces belli.

Nobis pueris, inquit *Pontanus cap. 23. de Immanitate*, in rebus bellicis tres infignes duces enituere, crudelitate nobiliores. Ex iis Nicolaus Fortibrachius, à latere suo ubique mutum quendam hominem ducebat, oneratum funibus ac capistris. Itaque ut quem suspendio destinasset, sive metitum, sive immeritum pro odio & libidine, factum illum obviam nutu indicabat: conversusque ipse post ad mutum, proclinato in uncum digito, nasum sibi contingebat. Quo signo accepto, confestim mutus injecto in illum capistro, proximo cuique, vel trunco eum, vel arbusculæ examinandum suspendebat: indicabaturque ignotus dies, qui sine suspendio præteriisset. Riccius Monteclarius crudelissimus, si quem decrevisset enecare, blandè admodum salutatum invitabat ad pocula: percontabaturque, quot secum aut placentulæ buccellas, aut forbillationes assumpturus esset: repentèque in iis nugis totidem vulneribus illum conficiebat. Antonius verò Pontadera, quòd in Pannonia diutiùs militiam exercuisset: Pannonio accinctus gladio, ubi quem vel ira, vel odio perditurus erat, illum ex improviso adoriebatur: eratque hic ei ludus quotidianus. F

Mulieres.

HECATE ex Persæ Tauricæ rege orta, sævitia, & feritate paterna nihilo inferior, cùm virgo adhuc esset, sagittis, quos libitum fuisset, transfigere solebat. Sed majus adhuc illi studium in venenis conficiundis. Aconiti inventum ad eam referunt quidam, vim, naturamque veneni in hospitibus experiri consuetam. Mox patrem his artibus aggressa, vita spoliavit. Cujus morte regnum adepta. Tauricæ erexit templum Dianæ, ad cujus aram ut hospites, sive terra, sive mari adessent, crudeliter mactarentur, instituit: futurum rata, ut suum per hæc nomen in plures gentes fama diffunderetur. *Diod. lib. 4. cap. 3.*

Pueri.

DRUSUS Tiberii ira tam gravi erat, ut verbera illam illustri cuidam equiti inflixerit, indeque fit Castor cognominatus. *Dion. lib. 57.*

Servi.

C. MARIUS ex Africa Romam reversùs Cinnæ se conjunxit, G delectis servis, qui se Bardiæos dicebant. Multos hi ad vocem ejus, multos ad nutum imperantis obtruncabant. Denique Ancharium senatorem, & virum prætorium, quia non salutabatur ab eo, gladiis sub oculis ejus contrucidarunt. Cæteros inde, quoscunque non appellaret salutantes, nec salutem redderet: eam habebant confestim interficiendi in *viis tesseram*. Unde ingenti sollicitudine, & horrore tenebantur, quoties ad salutandum Marium accederent, amici. Multo effuso sanguine erat jam hebes Cinna, & exaturatus. At Marii quotidie recens, & fitiens furor omnes pervadebat utcunque ipsi suspectos. Omnes viæ, omnibus oppida percussoribus venantibus profugos, ac delitescentes referta erant. Projectis in plateas truncis, atque conculcatis, species ea neminem jam commiseratione, sed horrore & tremore perfodit. Multo maximè illorum, qui Bardiæi dicebantur populum impotens pungebat petulantia. Nam dominos in ipsorum jugulabant domiciliis, mox liberos eorum comprimebant, & ut constuprabant dominas. Horum rapacitas, & latrocinia coerceri non valebant, donec communi consilio Cinna, & Sertorius sopitos in castris adorti ad unum confodere. *Plut. in* H *Mario.*

Quivis alii.

Pater Neronis Domitius, omni parte vitæ detestabilis, comes ad Orientem C. Cæsaris juvenis, occiso liberto suo, quòd potare quantum jubebatur recusarat, dimissus è cohorte amicorum, nihilo modestius vixit. Sed & in viæ Appiæ vico repentè puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit: & Romæ medio foro, cuidam equiti Rom. liberiùs jurganti oculum eruit. *Suetonius.*

RESPECTU PATIENTIS. IN VITA Politica. Crudeles.

Reges, Principes, Imperatores erga Subditos.

Tyrannus PHÆRENUS Alexander, in Thessalia Scotussanorum civitatem quibusdam de causis in crimen, & in concionem voca-

vocavit. Quos, cum tenuissent, immissis in eos mercenariis uni- A versos trucidavit, & cadaveribus occisorum in circumdatam mœnibus fossam projectis, urbem diripuit, & disturbavit. *Diodor. lib. 15.*

TIBERIUS Cæsar veterem istum versiculum, Me mortuo conflagret terra incendio (ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί) in ore habuisse, & Priami fortunas laudasse fertur, quòd funditus cum patria, & regno interiisset. Senatorum quidem, & aliorum tanta multitudo interfecta est, ut non essent, qui provinciarum præsidibus successores dari possent. Multa specie gravitatis, ac morum corrigendorum, sed & magis naturæ obtemperans, ita sævè, & atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque, & præsentia exprobrarent, & futura denunciarent mala.

Asper, & immitis, breviter vis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.
Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem:
Tam bibit hunc avidè, quàm bibit antè merum.
Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam:
Et Marium, si vis, aspice, sed reducem.
Nec non Antoni civilia bella moventis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic, Roma perit. Regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

B Quæ primò quasi ab impatientibus Romæ dominii, ac non tam ex animi sententia, quàm bile, & stomacho fingerentur, volebat accipi. Dicebatque identidem, Oderint, dum probent. Deinde vera planè, certaque esse, ipse fecit fidem. Nullus à pœna hominum cessavit dies: ne religiosus quidem, ac sacer. Animadversum in quosdam incunte anno novo: accusati, damnatique multi cum liberis, atque etiam uxoribus suis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum etiam paucorum, simpliciumque verborum. Objectum est Poetæ, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset: objectum & historico, quòd Brutum, Cassiumque ultimos Romanorum dixisset: animadversum statim in auctores, scriptaque abolita: quamvis probaretur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente, recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non modò studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis, & colloquii usus. Citati ad causam dicen- C dam, partim se domi vulneraverunt, certi damnationis, sed ad vexationem, ignominiamque vitandam: partim in media curia venenum hauserunt. & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes, palpitantesque in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus, uncoque tractus. Viginti uno die abjecti, tractique inter eos pueri, & feminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ priùs à carnifice, deinde strangulatæ. Mori volentibus, vis adhibita vivendi. Nam mortem adeò leve supplicium putabat, ut cùm audisset unum ex reis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamaverit: Carnulius me evasit. Et in recognoscendis custodiis precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redii. *Sueton.*

C. CÆSAR CALIGULA, Ptolemæum Regis Jubæ filium, consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex Helene filia nepos) & in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam adjutores imperii, pro necessitudinis jure, proque meritorum gratia cruenta morte affecit. Nihilo reverentior, leniorve erga Senatum: quosdam summis honoribus functos, adesse dum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, & cœnanti, D modò ad pluteum, modò ad pedes stare succinctos linteo, passus est alios cùm clàm interemissent, citare nihilominus ut vivos perseveravit, paucos post dies voluntaria morte periisse mentitus. Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmuniri medicamentis suspicabatur: Antidotum, inquit, adversùs Cæsarem? Relegatos sororibus, non solum insulas habere se, sed etiam gladios minabatur. Prætorium utrum ex secessu Anticyræ, quàm valetudinis causa petierat, propagari sibi commeatum sæpiùs desiderantem: cum mandasset interimi, adjecit: Necessariam esse sanguinis missionem, cui tamdiù non profuisset helleborum. Decimò quoque die numerum punierdorum ex custodia subscribens, rationem se purgare dicebat. Gallis, Græcisque aliquot uno tempore condemnatis, gloriabatur Gallogræciam sese subegisse. Non temerè in quenquam, nisi crebris, & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo, notoque jam præcepto, ita feri, ut se mori sentiat. Punito per errorem nominis alio, quàm quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde jactabat: Oderint, dum metuant. Sæpè in cunctos pariter Senatores, E ut Sejani clientes, aut matris ac fratrum suorum delatores invectus est: prolatis libellis, quos crematos simulaverat, defensaque Tiberii sævitia, quasi necessaria, cùm tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, ut scenæ, arenæque devotum assiduè proscidit. Insensus turbæ saventi adversùs studium suum exclamavit: Utinam Pop. Rom. unam cervicem haberet. Cùmque Tertinius latro postularetur; & qui postularent, Tertinios esse ait: Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: cùm occidi juberentur, unus resumpta fascina, omnes victores interemit. Hanc, ut crudelissimam cædem, & deflevit edicto: & eos, qui spectare sustinuissent, execratus est. Animum quoque remittenti, ludoque, & epulis dedito, eadem dictorum factorumque sævitia aderat. Sæpè in conspectu prandentis, vel comessantis feriæ quæstiones per tormenta habebantur. Puteolis dedicatione pontis, cùm multos è litore invitasset ad se, repentè omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentes, contis, remisque detrusit in mare. Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, & sponte prostratum confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discurrit. Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, caltrarium mactavit. Lautiore convivio effusus subitò in cachinnos, eis, qui juxtà cubabant, quidnam rideret, blandè quærentibus: Quid, inquit, nisi uno meo nutu jugulari utrunque vestrum statim posse? Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit: elisique per eum tumultum viginti ampliùs equites Rom. totidem matronæ, super innumeram turbam cæteram. Scenicis ludis, inter plebem & equitem causam discordiarum serens, decima maturius dabat, ut equestria ab infimo quoque occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quemquam vetabat: remotoque ordinario apparatu, rabidis feris vilissimos senio confectos, gladiatores quoque pegmares, patres familiarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subiiciebat. Ac nonnunquam horreis prælusis, populo famem indixit. Cùm aliquando condemnati non satis multi essent, qui bestiis obiicerentur: jussit è turba, quæ tabulatis inhærebat, aliquot illis obiici: quibus, vociferari & quiritari possent, linguas in primis præcidit. Proposuerat Antium, deinde Alexan- G driam commigrare, interempto priùs Senatorii & Equestris ordinis electissimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in secretis ejus reperti sunt duo libelli diverso titulo: alteri gladius, alteri pugio index erat. Ambo notas & nomina continebant morti destinatorum. Inventa & arca ingens, variorum venenorum plena: quibus mox à Claudio demersis, infecta maria traduntur, non sine piscium exitio; quos enectos æstus in proxima litora ejecit. Revocatum quendam à vetere exilio scisciatus, quidnam ibi facere consuesset, respondente eo per adulationem: Deos semper oravi, ut (quod evenit) periret Tiberius, & tu imperares: opinans sibi quoque exules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui universos contrucidarent. Cùm discerpi Senatorem concupisset, subornavit, qui ingredientem curiam repentè hostem publicum appellantes invaderent, graphiisque confossum lacerandum cæteris traderent. Nec antè satiatus est, quàm membra, & artus, & viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset. Cùm ad faginam ferarum muneri præparatarum cariis pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit: & custodiarum seriem recognoscens, H nullius inspecto elogio, stans, tantummodò intra porticum mediam à calvo ad calvum duci imperavit. Votum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatorium operam promiserat: spectavitque ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem, & post multas preces. Alterum qui se periturum ea de causa voverat, cunctantem pueris tradidit verberatum, insulatumque qui votum reposcentes per vicos agerent, quòd præcipitaretur ex aggere. Multos honesti ordinis, deformatos priùs stigmatum notis, ad metalla, & munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit, aut medios ferra dissecuit. Nec omnes gravibus ex causis, verùm malè de munere suo opinatos, vel quòd nunquam per genium suum dejerassent. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat. Qnorum uni valetudinem excusanti lecticam misit: alium è spectaculo pœnæ, epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem, & jocos provocavit. Curatorem munerum, ac venationum per conti-

nuos dies in conspectu suo catenis verberatum, non priùs occi-
A dit, quàm offensus putrefacti cerebri odore. Atellanæ Poe-
tam, ob ambigui loci versiculum media amphitheatri arena
igni cremavit. Equitem Romanum objectum feris, cùm se in-
nocentem proclamasset, reduxit: absciſsaque lingua, rursus
induxit. *Sueton. & Zonaras.*

Claudium Cæsarem sævum, & sanguinarium natura fuis-
se, magnis, minimisque apparuit rebus. Tormenta quæstio-
num, pœnasque parricidarum repræsentabat, exigebatque
coram. Cùm spectare antiqui moris supplicium Tiburi con-
cupiisset, & deligatis ad palum noxiis carnifex deesset: accis-
tum ab urbe vesperam usque opperiri perseveravit. Quocun-
que gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam fortè pro-
lapsos jugulari jubebat, maximè retiarios, ut expirantium
faciem videret. Cùm par quoddam mutuis ictibus concidis-
set, cultellos sibi parvulos ex utroque ferro in usum fieri
sine mora jussit. Bestiariis, meridianisque adeò delectabatur,
ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet: & meridie,
dimisso ad prandium populo, præsideret, præterque destina-
tos, etiam levi, subitaque de causa, quosdam committeret.
De fabrorum quoque, ac ministrorum, atque id genus nu-
B mero: si ἀνάτεμνον, vel pegma, vel qui tale aliquid pa-
rum cessisset. Induxit, & unum ex nomenclatoribus suis,
sicut erat rogatus. *Sueton.* Militibus istum versum Homeri-
cum subinde pro tessera dabat:

Pœna luenda viro si quis prior intulit arma.
Zonaras.

Nullus adhibitus à Nerone delectus, aut modus interi-
mendi quoscunque libuisset, quacunque de causa. Salvidieno
Orphito objectum est, quòd tabernas tres de domo sua circa
forum civitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino Ju-
risconsulto, ac luminibus orbato, quòd in vetere gentili stem-
mate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset. Peto
Thrasea tristior, & pædagogi vultus. Mori jussis non ampliùs
quàm horarium spacium dabat. At ne quid moræ interveni-
ret, medicos admovebat, qui cunctantes continuò curarent.
Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur
etiam Polyphago cuidam Ægyptii generis crudam carnem,
C & quicquid daretur mandare assueto, concupiste vivos ho-
mines laniandos, absumendosque obiicere. Elatus, inflatusque
tantis velut successibus, negavit quenquam principum scisse,
quid sibi liceret. Multasque, nec dubias significationes sæpe
jecit, ne reliquis quidem se parsurum Senatoribus: eumque
ordinem fublaturum quandoque è Rep. ac provincias, &
exercitus equiti Romano, ac liberis permissurum. Certè ne-
que adveniens, neque proficiscens quenquam osculo impertii-
vit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere
Isthmi, magna frequentia clarè, ut sibi ac Pop. Rom. bene res
verteret, optavit: dissimulata Senatus mentione. Nec mino-
re sævitia foris, & in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ
summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per
continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, ut ex Babilo
astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliena illustri
expiare, atque à semet in capita procerum depellere: nobi-
lissimo cuique exitium destinavit. *Sueton.*

A. Vitellus Imper. pronus ad cujusque, & quacunque
de causa necem, atque supplicium: nobiles viros, condisci-
pulos, & æquales suos omnibus blanditiis tantùm non ad so-
D cietatem Imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit:
etiam unum veneno manu sua porrecto in aquæ frigidæ potio-
ne, quàm is affectus febre posceret. Tum fœneratorum,
& stipulatorum, publicanorumque, qui unquam se, aut Romæ
debitum, aut in via portorium flagitassent, vix illi pepercit.
Ex quibus quendam in ipsa salutatione supplicio traditum,
statimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, co-
ram interfici jussit, velle se dicens pascere oculos. Alterius
pœnæ duos filios adiecit, deprecari pro parte conatos. Sed &
equitem Romanum proclamantem, cùm raperetur ad pœ-
nam, Hæres meus es, exhibere testamenti tabulas cogit: ut-
que legit cohæredem sibi libertum ejus adscriptum, jugulari
cum liberto imperavit. Quosdam & de plebe ob ib ipsum,
quod Venetæ factioni clarè maledixerant, interemit: contem-
ptu sui, & nova spe id ausos opinatus. Nullis infensior, quàm
vernaculis, & mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum
capite puniebat. Exacerbatus, quòd post edictum suum, quo
jubebat intra Kal. Octobr. urbe, Italiaque mathematici ex-
cederent, statim libellus est propositus: Et Chaldæos dicere
bonum fatum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalen-
darum diem usquam esset. Suspectus & in mortem ma-
tris fuit, quasi ægrè præberi cibum prohibuisset: vatici-
nante Catta muliere cui velut oraculo acquiescebat, ita
demùm firmiter ac diutissimè imperaturum, si superstes
parenti excidisset. Alii tradunt, ipsam tædio præsentium,
& imminentium metu, venenum à filio impetrasse, haud
sanè difficulter. *Sueton.*

Commodus Imper. cum bestiis, & cum hominibus duello
publicè congrediebatur, revera ita sagaciter jaculans, ut
omnibus admirationi esset. Cùm autem ad nefandas cædes
animum appulisset: omnes sine clementia miseros, & muti-
latos viros, & in theatrum coactos, serpentinis quibusdam
spectris ad genua alligatis, tanquam gigantes clava confecit.
Suid. & Herodianus.

Heliogabalus Imper. vim serpentum maximam, per
Marsicæ gentis sacerdotes quæsitam, antelucanis horis in
multitudinem misit, quæ spectaculorum die loca in thea-
tro, ut moris fuit, occupare solebat. Quo terrore multi
afflicti sunt, multi illarum morsu exanimati. *Sab. lib.7.*
Enn. 7.

Severus Imp. sua natura sævus, multoque ob avaritiam
adhuc sævior factus, qua omnes omnium temporum princi-
pes superavit: multos in urbe viros divitiis, & nobilitate cla-
ros occidit, plures in provinciis, uno in omnibus prætextu
usus, quòd Albini partibus favissent: adeò ut Senatus indi-
caverit, illum, aut nasci non debuisse, aut mori, quòd & ni-
mis crudelis, & nimis utilis Reipub. videretur. Post mortem
deposita invidia, ac metu crudelitatis, plurimùm amatus, &
in Deos relatus. *Cusp. & Sab.l.5.En.4.*

Opilius Macrinius, qui Caracalla perempto imperium
sibi astruxit, ex variis honoribus à senatu decretis, Pii
cognomen respuit, homo natura sævus. Milites in crucem
sustulit, semperque servilibus affecit suppliciis. Duos mili-
tes ancillaris stupri compertos, duobus exectis bobus inse-
ruit, extantibus duntaxat capitibus. Tribunum qui excubias
deseri passus fuerat, currui alligatum, vivum primò, mox
exanimem per longum traxit spacium. Adulterii convictos
vivos concremabat, parietibus includebat. *Sab.l.6. Enn.7.*
Mezentii crudelitate revocata, vivos alligavit mortuis. Quin
& parietibus inclusit multos. Unde factum, ut pro Macrino
Macellinus diceretur. *Gel.l.10.c.5. A.L.*

Maximinus Imper. insidiis exagitatus in tantam evasit
sævitiem, ut Cyclops à quibusdam ob animi immanitatem di-
ceretur: ab aliis Busiris, Phalaris, Typhon appellaretur. Multi
Romæ circa templa tacitis se votis obligarunt, si priùs
periisset Maximinus, quàm ad urbem veniret. *Sabellicus lib.*
6. Ennead.7.

Constantius, cùm Orientale imperium patris testamen-
to iniisset, omnes eos, quos parum aut patris amicos fuisse,
aut sibi esse idoneos censuit, è medio sustulit. Milites ad hoc
parati, ac spe, præmiisque impulsi, tumultu in urbe concitato,
Constantium Constantii patruum trucidarunt, ac subinde
Dalmatium Cæsarem, & cum eo Optatum Patricium conso-
derunt: &, cùm quidam de industria succlamasset, neminem
se, nisi Constantini filium, imperantem esse passurum, Anni-
baliano etiam fratri Dalmatii manus intulerunt: quin etiam
Gallum, & Julianum Constantii filios impetu aggrediendi
cepit: sed Gallum morbus necè subtraxit, Julianum, ætas,
quippe annos octo tantummodo natum: missi etiam spatharii
sunt ad occidendum Ablavium, qui post præfecturam à Con-
stantio abrogatam in Bithynia privatus vitam in otio tradu-
cebat. Quorum primores, ut jussi erant; cùm se, ut in salutan-
do Imperatore assolebant, ad genua inclinassent, literas redde-
D pem priùs evasisset, sibi quoque eodem modo pereundum
fuerit. *Jovius in ejus vita.*

Tanta fuit Vitoldi Ducis in Lituanis auctoritas, tantus ter-
ror, ut qui sub ejus fuere imperio jussi se suspendere, ultrò
vitam laqueo finirent. Sontes ursinis pellibus convolutos
canibus laniandos objecit, arcum in expeditionibus semper
intentum habuit, ut ordine aberrantes confestim transfigeret.
Capitale futurum edixit, si qui barbam aleret, ut id unum di-
scrimen regem à populo discerneret. Nec Lituani imperio
paruerunt, fatiùs rati vita, quàm barba periclitari. Periculo-
sum nimis visum est Vitoldo id vindicare, quòd populariter
peccaretur: Abstinuit itaque vindicta, cæterùm recentiore
edicto vetuit capillum, barbamve secari, solusque jam inde
in tota gente tonsus vixit. *Sab.l.5. Enn.10.*

Isa-

Isaacius Angelus Imperi pronus ad iram etiam ex inani fus-
A picione, & aliquando aliorum impulsu, multos malè tracta-
vit. Andronicum Comnenum (erat is Alexii filius nati ex
Bryennio Cæsare, & Anna filia Alexii, primi ex Comnenia
familia Imperatoris) qui Thessalonicæ præerat, delatum à
quodam, quasi regnum affectaret, statim comprehensum in-
dicta causa excæcavit. *Nicetas l.3.*

Henricus VI. Imp. mortuo Gulielmo Siciliæ Rege, regnum
Siciliæ, quod sibi ob Constantiam uxorem debebatur, ope
Genuensium occupavit, & Constantiam uxorem è custodia
liberavit, & regem se Siciliæ cum ea coronari maximo totius
regni concursu jussit. Hanc tam insignem victoriam, tanta-
que demùm felicitate divino beneficio partam, nimia inde
perfidia, atque sævitia deformavit. Primùm enim Genuensi-
bus, per quos regnum erat magna ex parte adeptus, non mo-
dò promissa non præstitit, sed eos etiam beneficiis à patre tri-
butis nudavit. Sibyllam verò Gulielmi Regis uxorem cum fi-
lio Gulielmo, & filiabus, & Archiepiscopo Salernitano, ac
fratribus comprehendit, & conspirationes aliquot adversus
se populorum compertas causatus, quasi justam iræ, ac cru-
delitatis materiam esset nactus, Sibyllam, & Archiepiscopum
B perpetuò carceri destinavit: Gulielmo virilitatem ad spem
stirpis adimendam exemit: aliquot obsides ex ipsa regni nobi-
litate luminibus exuit: reliquis in vincula traditis, multis Si-
culis bona eripuit. Ecclesiæ, aut gravissimis tributis, aut fœ-
dissimis direptionibus laceratæ, Episcopi verò, clericique us-
que ad mortem excruciati. Quin etiam Romanæ in detrimen-
tum Ecclesiæ Philippum fratrem, cui Irenem Rogerii, uxo-
rem collocavit: Ducem Tusciæ, ac Terræ Mathildis, Mar-
coaldum verò dapiferum suum Ducem Ravennæ, & marchio-
nem Anchonæ, & Conradum Spoleti Ducem constituit: &
in Germaniam cum Sibylla, filio, filiabus Archiepiscopo,
fratribus, Siculisque decessit. *Sigon.lib.15. regni Ital.*

Bladus Dracula, ut sibi stabilem principatum Moldaviæ
redderet, occidisse fertur circiter viginti millia hominum,
eosque tam infantes, quàm adultos palis suffixit. Loci istius,
ubi in crucem palumque sunt acti, longitudo extendit se ad
stadia XVII. latitudo verò continet stadia VII. Mahometes
II. Turcarum Rex admiratione defixus, dicebat: Haud pos-
sibile est eum virum, qui adeò magna fecit, regione spoliari,
præsertim cùm adeò mirabiliter tum principatu, tum subdi-
tis uti norit. Veruntamen is, qui tanta patravit, haud multi
C faciendus est. Reliqui Turcę aspicientes multitudinem homi-
num in patibulis, & palis hærentium stupebant. Erant
namque patibulis, & palis affixi infantes è matrum gremio
rapti: volueres nidos fecerant in interioribus eorum. *Chalco-*
condylas lib.9.

Selimus Turcarum Imp. natura severus erat, atque inexo-
rabilis, semper cogitabundus, nunquam præceps, præsertim
in exequenda crudelitate, quæ tamen sæpius inniti justitiæ vi-
sa est: Mustapham interfecit, quia parum fidelem comperit.
Chendemum Bassam necari jussit, quoniam sibi contra Per-
sas eunti tot difficultates objecerat, ut Janizari in unum col-
lecti transire Euphratem recusarent. Bostangi Bassæ genero
suo caput amputari præcepit, quòd provincias, quibus eum
præfecerat, expilasset. Junum Bassam interficiendum cura-
vit, ut ipsius nimiam arrogantiam cum infidelitate conjun-
ctam puniret. Nimia tamen in proprium sanguinem crudeli-
tate infamem se reddidisse. Verùm ipse affirmabat, nihil esse
dulcius, quàm sine consanguineorum timore, ac suspicione
regnare, seque ob id excusatione dignum arbitrabatur: quòd
si vel minimus quispiam ex Othomanico sanguine in princi-
pem priùs evasisset, sibi quoque eodem modo pereundum
fuerit. *Jovius in ejus vita.*

Tanta fuit Vitoldi Ducis in Lituanis auctoritas, tantus ter-
ror, ut qui sub ejus fuere imperio jussi se suspendere, ultrò
vitam laqueo finirent. Sontes ursinis pellibus convolutos
canibus laniandos objecit, arcum in expeditionibus semper
intentum habuit, ut ordine aberrantes confestim transfigeret.
Capitale futurum edixit, si qui barbam aleret, ut id unum di-
scrimen regem à populo discerneret. Nec Lituani imperio
paruerunt, fatiùs rati vita, quàm barba periclitari. Periculo-
sum nimis visum est Vitoldo id vindicare, quòd populariter
peccaretur: Abstinuit itaque vindicta, cæterùm recentiore
edicto vetuit capillum, barbamve secari, solusque jam inde
in tota gente tonsus vixit. *Sab.l.5. Enn.10.*

Subditi erga Principes, Magistratus, Tyrannos. E

☞ *Consule Tit. τυραννοκτόνων. quatenus Fortitudini Sævitia jungitur.*

Psammetichus Ægypti Rex, illato Æthiopibus bello, ex-
terorum militum virtutis magis, quàm Ægyptiorum fidere
videbatur. Cùm autem ob eam rem peregrinos majore in ho-
nore haberet, indignati Ægyptii, ad ducenta millia coacti, in
Æthiopiam tetenderunt. Cùm autem rex abeuntes blandè
appellaret, patriæque, & uxorem, atque liberorum eos com-
moneret: Ægyptii in ira perseverantes concussis armis dixe-
runt, illis novam sibi patriam comparaturos: sublatisque ve-
stibus, cùm genitalia membra patefecissent, donec incolu-
mem eam corporis partem servarent, neque uxores, neque li-
beros sibi defuturos. Plus apud eos indignatio, atque ira-
cundia, quàm patriæ, liberorumque caritas valuit. *Herod.l.2.*

Cùm Leontinorum tyrannum Iceten Timoleon cepisset, &
interfecisset. Syracusani uxores, & filias Icetis ejusque filii
Eupolemi in concione damnatas necaverunt: Dioni, qui
Dionysium exegit parentantes. Icetes enim uxorem Dionis F
Areten, Aristomachen sororem, & filium puerum admo-
dùm, vivos in pelagus merserat. *Plut. in Timolente.*

C. Caligula Imp. suæ crudelitatis dignas pœnas dedit.
Cùm ludos edidisset, atque jam domum properaret, à Cassio
Chærea interfectus est. Eo mortuo, nemo eorum, qui ade-
rant præsentes, manus ab illo abstinuit, sed mortuum confe-
cerunt vulneribus, nonnulli etiam carnem ejus deguستave-
runt, ejusque filiam, atque uxorem miserè occiderunt. At-
que sic is, qui optabat Pop. Rom. unam cervicem habere, ut
uno ictu perdere posset, sensit complurium manus sibi infen-
sas esse, qui unam cervicem habebat. *Xiphil. & Dion.*

Commodus Imp. à Narcisso interfectus, statim hostis pa-
triæ nuncupatus est. Hunc S.P.Q.R. editis clamoribus, mul-
tis ac gravibus contumeliis insecutus est. Cupiebat autem in
primis corpus ejus, sicuti statuas, trahere, & lacerare. Sed cùm
dixisset Pertinax, jam terræ traditum esse corpus, atque se-
pultum esse, à corpore abstinuerunt. In cæteris autem præter-
misere nihil, quin jacerent in illum contumelias cujusvis ge-
neris. Jamque Commodum Imperatorem appellabat nemo,
sed perniciem, atque tyrannum: addebant etiam, illudentes
ei, gladiatorem, aurigam, fœvam, herniosum. Sed & G
Cleander, qui ex servo summus apud Commodum Rom.
Imp. cubicularius factus est, cùm pro animi arbitrio cuncta
gereret, à populo interfectus est cum filio, qui in Commodi
manibus educabatur: ejus corpus tractum per plateas, caput
ignominiosè in pilo per totam urbem gestatum est. *Dion. Ni-*
cæus, & Herodianus.

Heliogabalus Imp. impurissimus, cùm Alexandrum con-
sobrinum suum, quem paulò antè adoptaverat, & Cæsarem
fecerat, trucidandum quibusdam, & ejus titulos defœdandos
præcepisset, à militibus in latrina, ad quam confugerat, in-
teremptus est. Et cùm non posset cloaca excipere cadaver ob
angustum foramen, tractum est per Circi spacia more canini
cadaveris, & in Tiberim tandem abjectum, ne unquam se-
peliri posset, cum declamatione, Indomitæ, & rabidæ libi-
dinis catulæ nomenque Antonini erasum: dictusque Tiberi-
nus, Tracticius, & Impurus, quòd solus omnium principum
tractus esset, in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus.
Occisa est & cum eo mater Symiamira. Et cùm Senatus ejus
nomen erasisset (nam ultimus Antoninorum fuit) cautum
est, ne unquam mulier Senatum ingrederetur. *Cusp.* H

Athaulfus Gothorum in Hispania Rex, incertum nepos
Alarici, an necessarius fuerit, apud Barcinonam à Militibus
suis obtruncatus est. *Ritius Neapolitanus libro 1. de Reb.*
Hispan.

Constantinopolitana civitas Andronico Imper. (qui cùm
sorore stuprum patrasset, Alexioque pupillo interfecto, im-
perium aggressus, omnem propèmodum nobilitatem sustu-
lisset) abrogavit primo imperium: in ordinem inde reda-
ctum altero privavit oculo, asinæque aversum imposuit,
bestiæ caudam pro sceptro habentem, pro diademate restem.
Per urbem inde circumvehitur, viris, feminisque in cum
probra jacientibus, lutumque, & alia fœdiora dictu in præ-
tereuntem congerentibus. Postremò laqueo pendens, uncis,
& harpagonibus est laniatus. Multi particulam corporis un-
co arreptam non solùm attrectare, sed mandere etiam sunt au-
si. *Sab.lib.8.cap.4.*

Veneti Petrum Candianum Ducem principatu pulsum
quin-

quintum decimum post annum, incensaque simul ducaria ædes cùm D. Marci templo, fugientem cum parvulo filio, supplicantem etiam, ut ipsi saltem parcerent puero, cum conjuge ipsa, & filio interemerunt: inventumque ejus cadaver in macellum usque pertraxere, membratimque laceratum canibus tradidere. *Egnat. l. 9. c. 10.*

Iidem populari imperu Vitalem Michaelem ducem suum interemerunt, quòd urbem pestis, classe in patriam reversa, corripuisset. Ejus enim rei culpam Vitali, licèt ignoranti, in exitiale crimen verterunt. *Fulg. l. 9. c. 7.*

Slesvicenses ob perfidè interfectum à Magno Nicolai Danorum Regis F. Canutum patruelem, summæ virtutis virum, Nicolaum exosi, posteàquam ab Erico Canuti fratre Magnus acie victus occubuit, Nicolaum de reconciliatione legatos mittentem, Baronis cujusdam suasu urbem ingredi jussere. Portas de industria patefactas ingressus, ut pium cleri, ita ferocem plebis occursum reperit. Clericis quippe eum sacræ processionis officio venerantibus, reliqui ut hostem excepere. Amicis autem ut in ædem Petri confugeret hortantibus, aulam petivit, regia sese, quàm templo tueri malens. Militibus cæsis ad extremum rex à populo interfectus est. *Sax. l. 13.*

Armuzii quindecim Reges oculis orbati à regni Procuratoribus, in ædibus regiis, cum uxoribus, & liberis inclusi servabantur quibus omnia ad victum necessaria Principes, qui Regis nomine regias opes pro libidine tractabant, largè præbebant. Hoc erat præmium Regibus, & maleficis hominibus constitutum, quoties jure regio liberiùs, quàm rectores ipsi vellent, uterentur. Præfecti namque tyrannide constituta, ex hac regia stirpe puerum deligebant, cujus nomine regnum in suam potestatem redigerent. Hic verò in regia sede locatus, si aliquid moliri cum regia libertate vellet, oculorum aspectu privabatur, & alius in locum Regis cæci eidem calamitati, si liber esse vellet, obnoxius, ut regium nomen obtineret, assumebatur. Hæc autem tyrannidis minimè ferendæ materia inter ipsos tyrannos dissensiones pestiferas excitabat, & causam ipsi civitati sæpènumero gravissimè cladis afferebat. Hos reges cæcos, partim ut memoriam tam immanis sceleris extingueret, partim ut turbulentissimæ dissensionis materiam amputaret, Alfonsus Albuquercius Indiæ Lusitanorum quæstor Garsiæ Noroguæ commisit, ut eos in Indiam deportaret: ubi jubebat, ut eis omnia magnificè præberentur, quæ ad victum, & elegantiam regiam pertinerent. *Osor. l. 19. rer. Em.*

☞ *Crudelitatem Anglorum in suos Reges, pete ex Loco de Anglis.*

Duces erga Milites.

☞ *Ex Tit. Sævitiæ ob defectionem, desertionem, exempla quædam huc referri possunt.*

Veronæ oppugnatione frustrà tentata, Venetorum Dux Barthol. Livianus usque adeò festinanter reductis tormentis, & signo profectionis dato, è conspectu urbis discessit, ne ab eruptura hoste distineretur, ut aliquot notos milites, qui ad proximum puteum ardentissimo sole portandi causa ex acie diverterant, crudeli manu confoderet, frustrà deprecante Paulo Baldono, qui in fessos, sitique confectos à mucrone temperandum esse disserebat. *Sab. Suppl. l. 1. ex Jovio.*

Paulus Vitellius excellenti ingenio princeps, judicio præstans, & ad expedienda arma promptus, sed sævus, Dormitantes vigiles impunè occidi, & sclopetariis hostium captis, oculos erui, & aures præcidi jussit, quod indignum putaret, strenuum sæpè, nobilemque equitem à despicato pedite prosterni. Venetas copias in Apennino profligavit, Pisanosque incensis eorum oppidis terruit. A Ranuccio Martiano collega, perfidiæ falsò accusatus, tortus, & tandem in curia secuti percussus est. *H. Honning. in Geneal. Vitelliorum.*

Milites erga Duces.

☞ *Consule Tit. Seditionum castrensium.*

L. Posthumius tribunus militaris, consulari potestate, cùm diripiendam Nolam Exercitui suo, ut promiserat, non concederet, item ob ea, quæ superbè in plebem dixerat, concitato in urbe Roma tumultu, propter illatum ejus scribæ vulnus, ab exercitu fuo lapidatus est. *Fulg. l. 9. c. 7.*

Lucullus rebus contra Mithridatem, & Tigranem felicis. gestis, cùm præter triumphum nihil aliud restaret, Militum animos à se alienavit. Itaque cùm etiam contra Parthos bellum gerere cuperet: propter militum pervicaciam, & importunitatem non potuit. Adeò fuit ad id, quod caput est in duce, & summum, benevolos habere milites, ineptus, aut infausstus. Ac Salustius quidem fuisse milites mox à belli exordio malè ait in eum animatos: quòd ad Cyzicum, & iterùm ad Amisum duas hyemes eos in castris continuisset. Fatigati fuerunt & cæteris brumis. Aut enim in hostico hybernaverunt, aut apud socios tetenderunt sub dio. In oppidum Græcum, & pacatum, ne semel quidem intulit pedem cum exercitu Lucullus. Ita animatis maximas occasiones præbuerunt illi, qui Romæ in concionibus regnabant, maximè verò C. Manlius tribunus plebis (alii L. Quinctium vocant.) Hi per invidiam Lucullum criminabantur, imperii, & pecuniæ aviditate bellum ducere: unum propèmodum Ciliciam, Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes denique provincias usque ad Phasim obtinere: nunc verò etiam Tigranis regias deprædatum: quasi ad exuendos reges foret, non ad debellandos, missus. His vocibus impulsus populus Romanus, provinciæ successorem Cn. Pompejum mittendum Lucullo scivit, multòque milites, qui sub eo meruerant, mittendos. P. Clodius Fimbrianos milites ab eo secedere fecit, quando cùm Tigrane iterùm dimicare parabat. Nullam non tum indignitatem subiit Lucullus, singulos orando, & tentoria obeundo, dimissus, & lachrymis oppletus. Nonnullorum etiam prehendit manus. Illi verò prehensationes repellere, inanes zonas obiicere, jactareque, solus demicaret cum hostibus, ex quibus diteficere nollet solus. Itaque magna senatui, & optimatibus affici Lucullum injuria apparebat, cui non belli, sed triumphi mitteretur successor: nec bellis gerendis cogi: sed rerum gestarum præmiis cedere, eaque permittere aliis. Magis autem præsentibus ibi res visa invidiosa. Neque enim relictum Lucullo fuit vel præmiorum, vel pœnæ pro cujusque meritis in bello arbitrium: neque cuiquam permisit Pompejus eum adire, vel rata acta ejus, vel quæ ex consilio decem legatorum dispensabat: verùm prohibuit ea per edicta, eratque ob majorem exercitum, quem habebat, formidabilis. *Plut. in Lucullo.*

Exercitus Rom. C. Carbonem, fratrem Carbonis ter Consulis, propter bella civilia dissolutam disciplinam militarem præfractius, & rigidius adstringere conatum, privavit vita: fatiusque duxit maximo scelere coinquinari, quàm pravos, ac tetros mores mutare. *Val. Max. l. 9. c. 7.*

Cùm in Rheno à Germanis unius tantùm navis detrimento Vitellii exercitus superatus esset: & Milites culpam in Herennium Gallium legatum reiicerent: per tumultum eum ceperunt: spoliatumque, ac verberibus affectum, turpiter interemissent, nisi Vocula, qui ejus collega erat, interventu ab eorum manu liberatus esset. *Fulg. l. 9. c. 7.*

Alex. Mammeæ F. Imp. Opt. cùm Germanicum bellum immineret, conscripto exercitu in Galliam profectus est. Ibique à Militibus, quòd severior ipse esset, & mater Mammea avarior, trucidatus, Maximino duce. Sextus Aurelius tradit, Maximinum plures de exercitu corrupisse: & cùm Alexander videret semet deferi à stipatoribus, matrem sibi fuisse causam mortis exclamando, accurrenti percussori, obvoluto capite, cervices suas validè compressas obtulisse. *Cusp.*

Rom. Exercitus, in Sirmio, Pannoniæ urbe, dum paludem exsiccaret, concitato tumultu, Probum Imp. optimum in turrim propinquam fugientem occidit: nec multò post, cùm criminis magnitudinem agnosceret, extructo ei ingenti, speciosoque sepulcro, culpam corrigere contendit, sepulchroque inscripsit: Hic Probus Imper. jacet, verè probus, qui omnium Barbararum gentium, atque tyrannorum victor fuit. *Fulg. lib. 9. cap. 7.*

Judices erga Reos.

Subornavit C. Julius Cæsar, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo adjutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum Tribunatum Senatus coercuerat. Ac sorte judex in reum ductus, tam cupidè condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æquè ac judicis acerbitas profuerit. *Sueton.*

Valentiniani I. Imp. asperitas in judiciis terrori omnibus fuit. Dioclem ex Comite largitionum Illyrici ob levia crimina jussit exuri. Diodorus verò ex Agente in rebus, & tres apparitores potestatis vicariæ per Italiam, ob id vexati atrociter, quòd apud eum questus est Comes, Diodorum quidem adversus

versus se civiliter imploraſſe juris auxilium, officiales verò jussu judicis ausos monere proficiscentem, ut responderet ex lege. Eorum memoriam apud Mediolanum colentes Christiani, locum sepulturæ, ad Innocentes vocarunt. Itaque cùm in causa cujusdam Maxentii trium oppidorum ordines tractari jussisset, Eupraxius quæstor interpellavit, & parcius, inquit, agito Princeps: nam quos interfici, tanquam noxios, jubes, Christiani pro martyribus colunt, & cùm in alia re venia digna jussisset ternos per ordines urbium plurimarum interimi: Florentius præfectus: Et quid agetur, inquit, si quo in oppido tam multi curiales non essent? Huic diritati illud accessit, quòd si quis eum adisset, judicium potentis inimici declinans, aliumque sibi dari judicem petens, ad eundem, quem metuebat, licèt multa prætenderet justa, rejecit. Ubi debitorem aliquem propter rei familiaris angustias solvendo non esse audivit, interfici oportere pronunciavit. Chilo ex Vicario, & conjux Maxima questi apud Olybrium urbis præfectum, vitam suam venis petitam, impetrarunt, ut qui suspecti essent, in vincula traderentur, ac mox, Olybrio adversa valetudine impedito, ut judicium Maximino præfecto annonæ committeretur. Cùm autem multi nobiles multorum scelerum auctores nominati in quæstionibus fuissent, Valentiniani certior factus, non posse nisi acrioribus suppliciis inquiri, & vindicari flagitia, quibus se multi Romæ obstrinxissent: mandavit, ut quæstiones solito asperiores adhiberentur: atque omnes torqueri permisit, quos Imperatorum constitutiones tormentis exemissent. Ita multi nobiles juxta, atque ignobiles viri, ac feminæ variis de criminibus capite damnati sunt. Ob eam rem cùm nemo esset tam innocens, quin tormenta, & vincula somniaret, Romani legatos ad Valentinianum miserunt oratum, ne pœnas delictis graviores expeti patteretur. Ille autem, cùm ignorationem facti excusasset, nihil tamen de quæstionum acerbitate remisit. Maximinus autem cùm suoptè ingenio, tum principis indulgentia ferox, eò truculentiæ processit, ut dicere non dubitarit, neminem, se invito, inveniri posse insontem: apparitores autem ad fallendum aptos emisit, qui defendo casus, quibus se simulabant oppressos, ac judicis exaggerando crudelitatem, asserebant, nullum his malis remedium aliud superesse, quàm si nobiles viri eorundem criminum socii proderentur, quorum gratia absolverentur, qui minus opibus in civitate valerent. *Sig. lib. 7. Imperii Occidentalis.*

Circiter annum 1215. multi fuerunt hæretici. Hos frater Conradus de Marpurg, inquisitor Apostolicus, judicio ferri candentis fi negassent hæresim, probare consueverat, & quos ferrum exussisset, velut hæreticos judicio seculari tradere conburendos. Unde paucis exceptis, omnes, qui semel essent accusati, & ad ejus examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium. *Hotom. disp. de Feud. c. 44. Jo. Tritbem. in Chron. c. 21.*

Cives erga Concives.

☞ *Nos hic civilis Societatis rationem habemus. Ipsa alioqui Hostilitas sub Tit. Crudelitatis referenda fuerit.*

Ixion primus inter homines contribulem suum interfecisse narratur à Pindaro, *Ode 2. Pythiorum:*

— τ' ἐμφύλιον αἷμα πρό-
τερος οὐκ ἄνευ τέχνας
ἐκέμιξε θνατοῖς.

Cùm vicissent Athenienſium Imp. classem Lacedæmoniorum apud Arginusas, cujus dux erat Callicratidas, sfatim profligatis navibus hostium, in fugamque versis, partem suarum navium censuerunt mittendam ad eas, quæ in pugna demersæ essent, ut naufragia colligerent, mortuosque exciperent: reliquas autem ad opprimendas hostium naves, quæ pugnæ non interfuerant, cùm in anchoris ad Mitylenem starent. Hæc autem consilia ipsorum ventus subitò exortus, tempestasque atrocior disturbavit. Educibus autem Athenienſium, sex victores domum reversi, accusatique, quod optimè meritos de Rep. insepultos reliquissent, post multas contentiones, jactationesque condemnati sunt à Pop. atque ultimo supplicio affecti. *Victor. l. 20. Var. lect. c. 22.*

De frumento ex Sicilia Romam advecto cùm in Senatu ageretur, an gratis, vili, aut immenso precio plebi divideretur, inter alios C. Martius Coriolanus extitit, qui adversus plebem gravem sententiam diceret. Nihil per largitionem populo tribuendum, his artibus lasciviorem, ac petulantiorem effici: satius esse hunc vel cariore annona domari, ac reprimi, quò fiat ex necessitate modestior. Tribuni plebis, qui in Senatu hanc sententiam audierant, ad populum referunt. Dies Coriolano dicitur. Sed quantum ad hoc crimen attinet, licèt populo infenso uteretur, id facillimè diluit. Ubi enim ulla loquendi licentia, si non in deliberando, ac dando consilio? Itaque non fuit in hoc Coriolani damnatio, sed quia à Tribunis ad populum vocatus non paruit: ministros eorum, cùm jussi eum prehenderent, ducerent, ceciderat, pulsaverat. *Dion. Halicarn. l. 7. Liv. l. 2. Decad. 1. Plin. de Viris illust.*

L. Sylla (quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest: quia dum quærit victorias, Scip. se Popul. Rom. dum exercet, Hannibalem repræsentavit) egregiè auctoritate nobilitatis contra C. Marium defensa, crudeliter totum orbem, atque omnes Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit. Revertente eo à bello Mithridatico, Marius curis confectus obiit: reliquit tamen quindecim suarum partium imperatores, sub quibus quadringentæ quinquaginta armatorum militabant cohortes, Italiam obtinebant. Ea res non solùm non terrori Syllanis fuit sed alacri animo operam suam polliciti, certatim singuli aliquam ipsi duci ad usum belli pecuniam obtulerunt. Mille & septingentæ naves, ut Appianus scribit, sub Syllæ imperio fuerunt, & armatorum quadraginta millia, in quibus sex Italicæ erant legiones. Missi legati Romam, qui pacem peterent, civesque ad concordiam hortarentur, contra jus gentium ab Cn. Carbone consule violati sunt. Toto triennio bellatum à Sylla feliciter: Mariani vel cæsi, vel in exilium pulsi, Tilesino Samnite oppresso, cùm illius exercitus reliquiæ Antemnam confugissent, & à Crasso obsiderentur: miserere obsessi tria millia ad Syllam legatos ad veniam petendam. Promisit ille eis impunitatem, si aliquid cladis intulissent cæteris hostibus, atque ita ad se commeassent. Qui habita fide reliquos sunt adorti, atque magna cædes extitit se mutuò conficientium. Nihilominus, & his, & quotquot essent ex aliis superstites ad sex millia in circo maximo coacti, senatum in ædem Bellonæ indixit. Simulatque dicere instituit, trucidaverunt, quibus id demandatum erat, ita sex millia. Vociferatione scilicet à tanta multitudine, quæ loco angusto jugulabatur, elata, & patribus attonitis, eodem quo dicebat immoto, & constanti vultu advertere patres animum jussit, neque curare quid ageretur foris. Nonnullos improbos jussu suo castigari. Quicunque Romanorum Præneste fuerant præter paucos senatores, qui cum Mario urbem inivérant, quos Lucretius occiderat, ab eo servati sunt. Samnites, & Prænestinos præter filios, & uxores, quos liberos dimisit, ex urbe eductos spe salutis per P. Cethegum data, ad XII. millia ferro conficiendos militibus objecit, urbem hostiliter diripuit, nec cuiquam in tanto numero, præterquam veteri hospiti, vitam concessit: quam ille, cum cerneret omne suæ civitatis robur extinctum iri pertinaciter recusasse dicitur: fassus se nullam salutis gratiam ei habiturum si suorum popularium percussoribus permisceretur. Norbani, qui & ipsi in partibus fuerant, Prænestinorum excidio consternati, ubi urbem ab hoste occupatam sensere, multi sibi manum intulerunt. Alii se mutuis confecerunt vulneribus. Quidam se, & liberos cum tota domo concremarunt. Ad postremum ita ferrum, & flamma omnia consumpsit, ut præter agrum, & aream, nihil ex capta urbe ad victores pervenerit. Misso in Aphricam Cn. Pompejo ad C. Carbonem, & reliquias partium cum eo debellandas, Romam reversus, crudelissimè in Marianos victoriam exercuit. Multi clari, & illustres viri fœdè trucidati sunt, & in his Catilinæ ministerio M. Marius Gratidianus, vir senatorius, quem brachiis, & cruribus fractis, nasoque, & auribus fœdè mutilatis, ac postremò effossis luminibus, insigni crudelitatis exemplo, ad sepulchrum Luctatiæ gentis pertractum necavit, Marii credo nomen in eo potissimùm persecutus. M. Plethorium, quòd ad ejus supplicium exanimis ceciderat, continuò ibi mactavit, novus punitor misericordiæ: apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Et jam urbs referta erat cadaveribus, cùm Sylla à Metello in curia rogatus: Ecquisnam præsentium malorum finis esset, aut quæ futura ferri requies? respondisse dicitur: Nondum se compertum habere, qui servandi essent. Tum Cecilius Metellus: Statue, inquit, Sylla quos demùm perdirum ire velis. Atque ita ille monitus. 40. senatores, mille & sexcentos equites uno tempore proscripsit, primusque omnium nefarium proscribendorum civium morem induxit. Ascripsit & percussoribus sua præmia. Contrà occultantibus supplicia. Quatuor millia, & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos, in tabulas publicas retulit: videlicet, ne memoria tam præclaræ rei diluueretur. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla,

pla, expulsiones civium, bonorum publicationes, judiciaque
A privatorum per Italiam dirè exercebantur, quibus exhaustis, civitates ad pœnas publicè devocatæ. His arces, illis thermæ, quibusdam mœnia adempta: aliis pecuniæ mulctæ nomine adscriptæ, & ex his plerasque colonias fecit, atque ita supra c. millia hominum, quos in agris collocaverat, sibi per petuò obsequio, & benevolentia obstrinxit. Privavit adhæc proscriptorum filios, nepotesque honoribus, Adversus mulieres quoque gladios distrimxit. Proditum est, quosdam nullam aliam ob causam, nisi quia divites essent, in proscriptis relatos. Q. Aurelius, homo civilis, otii, & quietis amicus, quique ea temporum novitate in nullis fuerat partibus, forum ingressus, cùm ad proscriptionis tabulam securus venisset, offendissetque in ea præter spem nomen suum, exclamasse fertur: Heu miserum, Albana me villa perdidit, paululùmque inde progressus, à percussore jugulatus est. Dictaturam Sylla in cxx. annos induit, fecitque magistrum ipsum perpetuum, cùm semestris, ex majorum instituto, ad id tempus fuisset. Pompejus Carbonem ex Lybia in Siciliam digressum, & ex Sicilia in Corsicam fugam molientem, medio conatu interceptum, capitis condemnavit. Romanus nobilis, & qui iter con-
B sul fuerat, triplici catenarum serie vinctus, velut latrocinii damnatus, ignominiosè ad supplicium est perductus, adduque ipse morti dedecus, quòd tanquam vitæ cupidus, ubi ferrum in se strictum vidit, spacium poposcit ad exonerandum ventrem, *teste Plut. in Pompejo*. Fuit annus ille, quo Sylla se perpetuum dictatorem dixit, sexagesimus octavus, ac sexcentesimus ab Urbe condita, qui in septuagesimamquintam, ac centesimam incidit Olympiadem, *Val. l. 9. c. 2. & Sab. l. 3. Eu. 6. Plut. Sylla, & Appiano*. De eo sic *Luc. l. 2.*

Sylla quoque immensis accessit cladibus ultor:
Ille quod exiguum restabat sanguinis urbi
Hausit, dumque nimis jam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiùmque secuta est,
Qua morbi duxere manus, periere nocentes.
Sed cùm jam soli possent superesse nocentes.
Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
Frenis ira ruit: non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas: semel omnia victor
Jusserat, infandum Domini per viscera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine; certatum est, cui cervix cæsa parentis
C *Cederet: in fratrem ceciderunt præmia fratres:*
Busta repleta fuga, permistaque viva sepultis
Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, elisaque guttura fregit:
Hic se præcipiti jaculatus pondere, dura
Desiluit percussus humo, mortesque cruento
Victori rapuere suas: hic robora busti
Exstruit ipse sui, nec dum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, & dum licet, occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
Et medio congesta foro ——

Syllanam crudelitatem C. Marii invidia levat: nam & ille nimia cupiditate persequendi inimicos, absente Sylla bello Mithridatico, post exilium, cum Cinna, Carbone, & Sertorio, ad cædem principum animum convertit. Senatus eos precabatur per legatos, ne in miseros cives sævirent. Cinna, curuli sella ut consul sedens, benignè legatis respondit. Contrà Marius tacitus sedebat, rigidoque, & truci aspectu, haud dubiè præ se ferens quantam paulò post editurus esset stragem. Aliis itaque urbem irrumpentibus, solus ipse ad portas substi-
D tit, ibique professus est, non licere exulibus urbem, unde legibus arcentur, ingredi. Proinde si quis patrocinio suo indigeret, daret is operam, ut lex de se lata confestim antiquaretur. Contemptim inde populum in forum vocari jussit, & suffragia eodem ferri. Inde militibus septus, quos Præcipites appellabat, urbem ingreditur: dato suis signo, ut quem ipse non salutaret, aut salutanti nihil respondisset, pro hoste haberetur, eumque evestigiò obtruncarent. Multi igitur ex eo occursu contrucidati sunt, & in his Ancharius vir senatorius, C. & L. Julii, Attilius Scranus, P. Lentulus, C. Nestorius, M. Bebius, in viis deprehensi. Interfectus est & Crassus in fuga, qui filium, ne ab inimicis trucidaretur, suis manibus interemit. Est deinde cædes per nobilium, atque ignobilium capita sine discrimine evagata. Pauci fuerunt, qui non metu mortis amicos, & hospites ad se fugientes prodiderint. Cadavera passim projecta horrori civibus esse, & quod non mediocri mœrori accessit, pueri, & uxores interfectorum, à servitiis, & iis, qui Mario fœdum id ministerium exhibebat, cùm multo dedecore ad stuprum trahebantur. Quam rei indigni-
tatem Cinnani milites haud ferendam rati facto in Marianos E
impetu, id flagitium ferro vindicarunt. Ex Syllæ amicis, & necessariis pauci evasere. Ipsius domus eversa est, bonaque in publicum redacta. Eratque tunc is civitatis status, cùm Marius septies, Cinna iterum consules creati sunt. Cæterùm Calend. Januar. inito consulatu, quia Sextus Lucius calamitatem ingentem, ac cladem ex portento, quod tum fortè acciderat, urbi imminere dixisset, Marii jussu præcipitatus est. C. Cæsaris consularis, & censorii nobilissimum corpus ignobili sævitia trucidavit, & quidem apud seditiosissimi, & abjectissimi hominis Varii bustum. *Sabell. ex Plut.* L. Luctatius Catulus collega fuerat Marii in quarto ejus consulatu bello Cymbrico, amboque de Cymbris triumpharant. Pro hoc cùm apud Marium totus senatus supplex deprecaretur, Marius nihil aliud, quàm moriendum esse respondit. Itaque Catulus, ubi hoc Marium dixisse resciisset, accensis carbonibus se suffocavit. Dubium, an hausti prunis, ut Portia Bruti conjux, an fumo in cubiculo undique occluso, & recens gypso incrustato. Sunt, qui venenum illum hausisse existiment. *L. Vives in l. 3. Aug. de Civ. Dei, c. 27.* De eo sic *Lucan.*

Vir ferus, & fato cupienti perdere Romam F
Sufficiens.

Damasippus C. Marii junioris, qui cum Cn. Carbone consul fuit prætor, homo nulla præditus virtute, nobilissimos cives (qui Syllanis partibus adhæserant) inter victimas tanquam belluas crudeliter enecavit. Carbonis Arvinæ tribuni plebis truncum in sublime elatum, per ora vulgi deferri jussit: tandem à victore Sylla obtruncatus est. *Val. l. 9. c. 2. & Sab. lib. 3. Enn. 6.*

Sub initia bellorum civilium, Marius ascivit sibi Sulpitium Tribunum, qui nihil reliqui fecerat ad summam improbitatem: ut non quæras quo esset alio sceleftior, sed ubi vincere semetipse improbitate. Etenim crudelitas, & audacia, & avaritia coierant in eo: nec quam turpitudinem, vel quod in se admitteret flagitium, quicquam pensi habebat. Nempe civitatem Romanam libertinis, & inquilinis propalàm venundabat, precium posita in foro mensa numerabat, tria millia satellitum alebat, manu ex questri pube ad omnia parata erat stipatus, quam vocabat Contrasenatum. Hic cùm rogationem tulisset, ne quis senator supra duo millia denarium æris alieni contraheret: debuit ipse moriens H-s. cxx. Qui à Mario in populum emissus, cùm rempublicam totam vi, ferroque G
miscuisset: & alias leges perniciosas tulit, & illam de imperio Marii contra Mithridatem. Ob quæ justitio à consulibus edicto, dum concionem ad Castoris habent: immisit in eos multitudinem, atque inter multos alios filium Q. Pompeii consulis adolescentem in foro interfecit. Pompejus ipse clam effugit. Sylla verò, qui confugerat in domum Marii, à Mario nihil læsus, sed etiam per posticum emissus instantibus adversariis coactus est prodire, & justitiam solvere. Qua de causa cùm Pompejo abrogasset honorem, Syllæ reliquit consulatum, tantùm ducatum belli Mithridatici ad Marium transtulit. Nec multò post, cùm Sylla urbem occupasset, à servo suo proditus, interfectus est. *Plut. in Sylla.*

C. Julius Cæsar, Sylla fuit crudelior in victoria, qui in causa (ut Cicero ait) impia, victoria etiam fœdiore, non solùm singulorum civium bona publicarit, sed universas provincias, regionesque uno calamitatis genere comprehenderit. Itaque vexatis, & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massilia visa est: & ex ea urbe triumphari, fine qua nunquam Romani Imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. *Cic. l. 2. Offic.* H

Adempta L. Antonio consuli Perusia, cùm aram Julio Cæsari ædificasset, illic pro victimis tercentum partim equites, partim senatores crudeliter mactavit. *Fulg. l. 9. c. 10.*

D. Bruto extincto, M. Antonius, Lepidus, & C. Octavius circa Libinum flu. Mutinensis agri castra conferunt, triduoque in fluminis insula de summa rei locuti, societatem, & fœdus inivere, ut ad arbitrium suum Remp. administrarent, ita inter se provincias partiti, ut Antonius Gallias teneret usque ad Pyrenæos montes, Lepidus Iberiam, & Libyam, Octavius Italiam cum Sardinia, & Sicilia. Ut Cassio, & Bruto Antonius, & Octavius inferrent bellum, Lepidus interim consul cum tribus legionibus urbi præsideret. Destinant adhæc duas deviginti Italiæ urbes militibus distribuendas, in quibus agri, & domicilia singulis assignarentur. Fuereque in his Capua, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nucseria, & Ariminum. Proscripti deinceps sunt ccc. circiter senatores, equestris ordinis duo millia. Primus ex proscriptoribus fuit

fuit Lepidus, & ex proscriptis primus Paulus Lepidi frater.
A Secundus proscribentium Antonius, & L. Cæsar, ipsius Antonii avunculus, qui à Julia sorore sua Antonii matre est servatus. Antonius ea conditione avunculum proscribi passus est ab Octavio, ut Cicero sibi proscribendus ab eo traderetur. Mota sunt inde castra, legionesque ad urbem admotæ, quæ tres, & quadraginta numero fuisse traduntur. Metus primò, mox & stupor ingens civitatem invasit. Triumviri singulatim urbem triduo ingressi, omnia terrore, & armis complent. Ibi primum omnium P. Titius tribunus plebis pro concione attonitam multitudinem affatus, pronunciavit Antonium, Lepidum, & Octavium Triumviros, sibi quinquennium deposcere ad remp. reformandam. Qua recepta, (stultum fuisset negare, quod vi extorqueri potuerat) proscriptionis tabulas in apertum referunt, præmiaque proponunt iis, qui damnatorum capita retulissent. Tum verò miserabilis fuga orta, multorumque irriti conatus fuere, turmarum ductoribus, exitus urbis, portas, signa, lacunas, pontes, & cætera ad fugam idonea, præsidio obtinentibus. Plurimi viri, & boni, & illustres periere, alii alio casu, cæterum omnes miserabili eventu. Sed cùm ne proscriptorum bona, neque ingen-
B tes alioqui rapinæ possent Antonii luxuriam explere: virorum proscriptione confecta, mille, & quadringentas locupletes Triumviri proscripserunt feminas, quæ à Fulvia Antonii, & Lepidi uxore domo repulsæ, in forum ad Triumviros magno cœtu convenere. Tum Hortensia Q. filia ante alias proscripta, ad Antonium, & collegas publicè verba fecit. Quibus excandescentibus, quod viris silentibus mulieres in publico loqui auderent, lictores missi eas loco submovere cœperant, cùm ad eam injuriam planctus, & mulieribus comploratio orta flexit Triumvirorum animos, ac cæteris tabulæ exemptis quadringentæ duntaxat sunt proscriptæ, quæ omnium bonorum rationem in publicum detulerunt: inde ad centum millia civium, qui Romæ forisque ditiores habebantur, pari ratione proscripta, ut bellorum onera à Triumviris sustineri possent. Sed hi fortunis, non capite periclitati sunt. Multi per id tempus ad Brutum, & Cassium, tanquam ad futuros vindices libertatis perfugerunt: alii ad Cornificium in Lybiam: sed multò plures in Siciliam ad Sextum Pompejum, qui insulam cum classe obtinebat. *Sab. l. 5. Enn. 6.*

Augustus Cæsar Perusia capta, in plurimos animadvertit: orare veniam vel excusare se conantibus una voce occur-
C rens: Moriendum esse. Scribunt quidam, trecentos ex deditiis electos utriusque ordinis, ad aram divo Julio extructam, Idibus Martiis hostiarum more mactatos. Efferunt, qui traderent, consultò eum ad arma isse, ut occultè adversarii, & quos metus magis quam voluntas conineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur: devictisque his, & confiscatis promissa veteranis præmia solverentur. Triumviratum Reip. constituendæ per decem annos administravit: in quo restitit quidem aliquamdiù collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum sæpè personam per gratiam, & preces exorabilibus, solus magnopere contendit, ne cui parceretur: proscripsitque etiam C. Totanium tutorem suum, eundemque collegam patris sui Octavii in ædilitate. Junius Saturnius hoc amplius tradit, cum peracta proscriptione, M. Lepidus in senatu excusasset præterita, & spem clementiæ imposterum fecisset: quoniam satis pœnarum exactum esset, hunc è diverso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera: in cujus tamen pertinaciæ pœnitentium, posteà T. Junium Philopœnem, quòd patronum
D suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decoravit. *Suetonius.*

Idem Cæsar inita cum Antonio, & Lepido societate, Philipense quoque bellum, quamquam invalidus, atque æger, duplici prælio transegit. Quorum prior castris exutus, vix ad Antonii cornu fuga evaserat: nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris summiteretur, in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia sævit. Ut quidem uni supplicitur sepulturam precasse respondisse dicatur: jam istam in volucrum potestatem fore: alios patrem, & filium pro vita rogantes, sortiri, vel dimicari jussisse, & alterutri concederetur: ac spectasse utrumque morientem, cum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque voluntaria occubuisset nece. Quæ cæteri, & in his M. Favonius ille Catonis æmulus, cùm catenati producerentur, Imperatore Antonio honorificè salutato, hunc fœdissimo convitio coram proseciderunt. *Suetonius.*

Vitellius superato Othone. ☞ *Vide infrà inter Apophthegmata.* E

Nusquam gentium majora iræ argumenta extiterunt, quam in factiosis Italiæ urbibus: ubi principes factionum in inimicorum potestatem redacti, vivi quidam combusti sunt, in crepundiis pueri interfecti, prægnantes matronæ execto utero cum partu crudeliter peremptæ, multi præcipitati, exenterati quidam, cordaque ad opprobrium suspensa, ac diverberata. Sed quales fuerint ejusmodi carnificinæ, illud declarat, quòd clementia fuit hominem subiicere securi, aut laqueo necare. *Sab. l. 9. c. 3.*

Olim inter digladiantes quasdam familias inimicitiæ ortæ sunt. Captus quidam ex factione altera evestigiò concisus in minutissima frusta fuit: moxque exemptum illi jecur, in prunis, candentissimisque carbonibus à factionis ejus Principibus tostum, perque buccellas minutim dissectum, inter cognatos, ad id invitatos, in jentaculum distributum. Allata etiam post degustationem tam execrabilem pocula, non sine collecti cruoris aspergine. Congratulationes habitæ inter se, risus, joci, leporesque cibum ipsum condientes: denique & diis ipsis propinatum, tantæ vindictæ fautoribus. Hanc historiam se *Pont. lib. de immanitate c. 13.* ab avia sua Leonarda e- F
tiamnum puerum audivisse scribit.

Rogerius Ubaldinus, Pisanus Archiepiscopus, Gibellinę factionis, ab urbis administratione Ugolinum Girardescum depulit, cum ipsum in honore Guelfum Pisani constituissent, ut Lucensium, atque Florentinorum Guelfi nominis amicitiam adversus Genuenses sibi conciliarent: quorum res in Gibellinorum Ubertorum, Auriæ, Spinulæque manu erant: & à quibus maritimo bello Pisani magna clade afflicti, novem millia, atque insuper ducentos, anno Salutis 1284. è suorum numero desideraverant. Carcere igitur longo maceratum Ugolinum cum duobus filiis, totidemque neptibus, pollicitus Archiepiscopus se incolumem servaturum, si pecuniam, quam habebat, patefecisset: posteàquam ejus thesaurum assecutus est, fame cum tribus liberis, quadriennio post quam clades illata fuerat, ad mortem compulit. *Fulg. l. 9. c. 2. Platin. in Nicol. III. Æm. l. 8.*

Franciscus Turrianus, Mediolani à fratre Napo, ejus urbis principe contra Othonianos patricios Mediolano ejectos exercitum ducente, ad res urbanas tutandas relictus, cùm victoriæ nuntium accepisset, rogatus sententiam de captivis: resetipsit cuncta simul Hydræ capita ense recidenda, G
ne renata venenum rursus effundant. Contra Caffonus Napi F. generoso consilio clementiæ laudem quærens, ne supplicium de patriciis sumeretur, obnixè est precatus. Sed Napus patricio sanguine jam pridem cruentatus, ad Galatarium oppidum duo, & viginti insignes patricios, ante alios, & Languiscum ducem, & Theobaldum vicecomitem securi percussit, cervicibus ad plausti temonem appositis, atque tibiis repetito sæpe ictu sævissimè detruncatis. Id facinus nobilissimos quosque adversus Turrianos concitavit, adeò ut non toto planè exacto triennii spacio, parem omnino cladem Turrianis rependerint. *Jov. in vita Othonis Vicecomitis.*

Paganinum Turrianum Napi principis F. Vercellenses patricii Othoni Vicecomiti faventes cum prætoris adventantem insignibus in itinere obtruncarunt. Quo nuncio Napus, & Emberra Gallus Caroli Andegavensis, ab Urbano IV. Pp. contra Manfredum Siciliæ tyrannum, evocati, familiaris, & à Philippo Napi fratre prætura Mediolanensi ornatus, adeò in vindictæ cupiditatem exarsere, ut immani eorum jussu, omnis sexus, & ætatis exulum propinqui, cum Paganini cadaver ad divi Dionysii templum attrata familia convexisset, H
ad ejus tumulum tanquam hostiæ mactarentur, & quod miserabile spectaculum fuit, ad sepulcra majorum plausitris in urbem referrentur. Scribit Tristanus Scalchus, adeò vesana rabie Napum fuisse correptum, ut Musca filius, ad quem posteà ex diuturno carcere recuperati imperii laus pervenit, comprehenso medico, cui salutem ex lethali morbo acceptam referebat, vitam vix impetrare potuerit: cum gravissimè juraret juvenis, dolore, atque inedia sibi vitæ exitum inventurum, nisi vir sibi salutaris, & innocens ab crudeli supplicio servaretur. Tandem ab Othone Vicecomite victus, vitam cum tyrannide, sicuti merebatur, amisit. *Ibidem.*

Angli cùm hostili bello carerent, civilia cum tanta crudelitate gesserunt, ut ludicra videantur, quæ de tragica Thebanorum feritate prodita sunt, præ his, quæ à Polydoro narrantur: qui tamen in gentis gratiam multa scripsisse fertur. Nec mirum videri debet, si Philippus Cominius scripserit annis

nis ferè 20. quibus bella civilia gesta sunt, sua ætate cæsos esse
A regiæ stirpis homines amplius 80. Omitto reges duodecim, quipopuli seditione, ac principum conjuratione cæsi, aut imperio spoliati fuere, *Joannes Bodinus Methodi hist. c. 6.*

Socii crudeles erga Socios.

QUINTILIUS VARUS in Galliam ab Augusto Cæsare missus, cùm Gallis perinde atque servis imperaret, & pecuniam tanquam à subditis exigeret: Galli simulata benevolentia, cùm is compararet exercitum, frequentes ad eum venerunt, quasi socii futuri ad bellum gerendum. Postea autem, eum nihil tale cogitantem invadunt in locis quibusdam difficillimis, & circumstantes undique jaculantur, quo ad exercitus populi Romani, qui neque sibi auxilio esse, neque se fugæ mandare poterat, interiit. *Dion. in August.*

LUPUS BRITTIUS, post Joan. Sylveriam arcis in insula Zeilandense à Lusitanis ann. 1521. extructæ præfectus extitit. Arce ad summum perducta, Lusitani insolentius efferri, incolas injuriis afficere, magnum decus in illis vexandis reponere cœperunt. Illi vicissim contumeliis irritati, commeatum subtra-
B here, malignè omnia præbere, & omnes, quos solos inveniebant, plagis afficere, & in rebus omnibus hostilia machinari. Brittius injurias ab incolis illatas dissimulabat, & suos, ne quicquam in eos hostile molirentur, continebat: interim verò rectores per nuncios admonebat, ut suos à maleficio deterrerent. Milites autem fremebant, & Brittium ignaviæ, & timiditatis insimulabant, quòd tam indignas contumelias pateretur: & ei frequenter instabant, ut malè cogeret homines suum officium facere, & quotidiano convitio ab eo contendebant, ut incolas acri bello contunderet. Brittius ne in hominum imperitorum vituperationem veniret, in veram reprehensionem temeritatis incurrit. Nam post meridiem, tempore, quo incolæ fine ulla formidine propter æstum gravissimum, qui terras illas adurebat, in domibus suis quiescebant, ex arce centum, & quinquaginta milites Lusitanos eduxit, homines imparatos invasit, oppidum cæde, & terrore complevit, & incolas in fugam compulit. Illi postquam in campo conglobati, & à repentino pavore refecti sunt, cogitare cœperunt, se uxores, & filios in oppido omni præsidio nudatos reliquisse. Itaque rursus in oppidum reversi sunt, & arcem obsederunt. Quinque mensibus obsessi sunt, antequam auxi-
C lium afferri posset. Brittius Cochinum nuncium misit, qui nunciaret rem esse in extremum discrimen adductam. Alexius tamen Menesius quinquaginta Lusitanos milites in una triremi, cui Antonius Lemius præerat, illis auxilio misit. Qui cum propter adversas tempestates (hyems enim erat) tardissimè navigarent nimis ferò in arcem pervenere. Ibi cùm Lemius Brittio diceret, non esse, cur aliud auxilium expectaret, antequam Siqueira revertereturr: & si diutius expectaret, intelligebat esse omnibus fame perendum omnem spem salutis in virtute collocandam statuit. Antonius Lemius cum triremi una subsidio venit: & per totam noctem è trireme hostium munitiones, & turres vehementissimè verberavit. Manè verò, cum hostes in triremem essent intenti, & nihil minus opinarentur, quam fieri posse, ut qui erant in arce inclusi, egredi auderent: Brittius cum trecentis militibus Lusitanis erumpit, hostes imparatos invadit, atque fundit. Rex cùm cerneret magnam nobilitatis partem eo prælio cæsam fuisse, & Saracenos, qui præcipuè belli auctores fuerant, primos omnium se in fugam dedisse, & suspicaretur sibi adhuc bellum integrum restare, pacem petiit. *Osorius l. 12. rerum Em.*

D *Præceptores crudeles erga Discipulos.*

ORBILIUS Beneventanus ludimagister fuit Romæ, tanta in discipulos severitate, ut plagosus appellaretur, & vulnerarius.

NERO, & GALEACIUS SFORCIA præceptores ulti sunt. Ille enim, quod puer à Seneca præceptore verbera tulisset, mori eum coegit: datæ tamen mortis eligendæ copia, & res domesticas componendi spatio, teste *Suetonio*. Hic factus dux Mediolanensis, Nicolao Montano pædagogo, à quo puer vapulaverat, totidem plagas nudis natibus rependi, se inspectante jussit. Quæ injuria effecit, ut is tres ex suis discipulis, præsertim vero Hieronymum Olgiatum, ad tyranni cædem inflammarit. *Jov. in Galeacii Elogio.*

PHILAGRUS, Cilix patria, Lolliani auditor, sophistarum vehementissimus, sed & maximè iracundus, quondam dormitanti auditori pugnum in malam impegit. *Cælius lib. 21. cap. 7. Antiq. Lect.*

ARCADIUS Imper. ab Arsenio virgis cæsus, percussorem in
E præceptorem subornavit: is mentem insidias, fuga sibi consuluit, & eremita factus est. *Niceph. l. 12. c. 23.*

Condiscipuli crudeles.

ALEXANDER Magnus crudelis in condiscipulum Callisthenem, quod palàm dictitaret, Alexandrum non adorandum esse, conjurationis eum conscium fuisse criminatus est, cumque truncatis membris, abscissisque cruribus, labiis, ac naso deformatum, post varia tormentorum genera de medio sustulit. *Seneca l. 6. Natur. quæst. & Plut. in ejus vita.*

Oeconomica vita. Crudeles.

In Genere, erga plures domesticos.

HERODES, Judæorum rex, non tantùm erga infantes suam crudelitatem exercuit, sed in uxorem etiam Mariannem maximè amatam efferbuit. *Joseph.*

ANGELUS ROSSETUS Ferrariæ, incertum quibus furiis ac-
F census, ann. 1538. 7. Junii, servum primùm, ancillam anum, uxorem prægnantem, filium, sororem denique confodit. Sumptum de eo supplicium 3. Novembr. Ex *Joan. Sinapii Epigr.*

Parentes erga liberos.

☞ *Consule Tit. Perfidiæ parentum erga liberos.*

ALCIMEDON heros, filiam Philonem ab Hercule constupratam feris cum puero exposuerat. Ibi vagientem infantem cùm Pica imitaretur, ad avis vocem, quod puerilem esse credidisset, Hercules fortè illac iter faciens conversus, puellam, & à se genitum puerum agnoscens, ambos vinculis liberavit. *Paus. in Arcad.*

STAPHYLO, ac Chrysosteodæ fuisse tradunt filias tres, Molpadiam, Rheam, Partheniam. Rheam ab Apolline compressam, gravidam esse factam, patrem iratum, tanquam ab homine corruptam filiam, in arca inclusam, in mare dejecisse, quæ cum in Delum appulisset, filium genuit nomine Anium. Mulier præter opinionem salutem assecuta, infante G
post partum super Apollinis altare posito, Deum oravit, ut si ex eo esset genitus, puerum servaret. Apollinem dicunt abscondito infante ejus educandi curam cepisse: doctumque deinde divinandi artem, magno honore affecisse. At verò Molpadiam, Partheniamque custodientes vini amphoram, paulò antè inter homines reperti, somnus oppressit. Interim Scropha, thalamum ingressa, vini amphoram fregit. Virgines patris iracundiam veritæ, cum ad litus confugissent, è saxo se in mare præcipitavere. Apollo in sororis gratiam, manibus susceptas, in Cherroneti urbes incolumes detulit. Partheniæ in Bubasto Cherroneti divum honores habiti, & fanum ædificatum. Molpadia in Castanum accendens, prædicatione Apollinis Semidea dicta, apud Cherronesios in honore fuit. In ejus sacris, propter casum, qui ex vino accidit, melicrato libant. Tangentem verò, aut edentem porcum, nequaquam fas est templum ingredi. *Diod. l. 5. c. 14.*

ALEUS rex Arcadum filiam Augen ab Hercule hospite vitiatam ob stuprum in mare præcipitari jussit. Ii tamen, quibus hoc demandatum fuit, regiæ puellæ fortunam miserati, eam perdere nolentes, Caribus inde solventibus in alias procul terras asportandam tradidere. *Sab. l. 6. Ennead. 1. ex Pausaniæ Achaicis. Diod. l. 4. c. 2. Strab. l. 13.* H

PENELOPE, Ulyssis filium Euryalum, ex Evippe Tyrimmæ filia susceptum missumque à matre in Ithacam, tanquam insidiatorem, perfidè zelotypa, patri occidendum persuasit. Quem Ulysses præ iræ impotentis manu sua occidit. *Parth. de Amat. c. 2. & 3.*

Habitavit Thebis Bœotiæ Eumelus Eugnoti F. filiusque fuit Botres nomine. Pater magno opere Apollinem colebat. Quondam tempore Botres, cùm ei sacris operanti adesset, cerebrum comedit, priusquam hostia esset aræ imposita. Id cùm sensisset pater, præ ira titionem ab ara raptum, capiti pueri impegit: qui sanguine defluente collapsus palpitavit. Mater, & pater, atque famuli re conspecta, maximum sustulerunt luctum. Sed Apollo patris misertus, puerum in avem æropum mutavit: quæ cùm etiamnum in terra pariat, semper tamen violatum molitur. *Antonius Liberalis in Metamor.*

Qui

Qui Græca colligunt adagia, citant ex Æschylo hujusmo-
A di fabulam. Eteocles, & Polynices, de more patri Oedipo cæco ex unoquoque sacro partem anteriorem mittebant. Cùm autem aliquando per imprudentiam, atque incogitantiam, coxam, hoc est, posteriorem partem misissent: ille existimans id non oblivione, neque imprudentia, sed contumeliæ causa factum, imprecationibus diris eos est execratus. *Erasmus in Adagiis.*

CYCNUS, Colonis oppidi Trojadis rex, filium Tennem, ob Philonomes novercæ falsam accusationem de stupro intento, cum Hemithea sorore arcæ inclusum in mare abjecit, Deorum ope salvi in Leucophryn insulam pervenere. Tenni inde imperio insulæ potito, pater ad illum navigavit, quo se illi purgaret, & ejus, quod per ejus crudelitatem temerè commisisset, facti, veniam posceret. Cùm itaque appulisset, & ad saxum, sive arboris truncum navem religasset, Tennes ira impulsus, bipenni retinacula abscidit. Ex eo in proverbii consuetudinem venit, ut quidquid quivis præfractè negarit, is Tennedia bipenni præcidisse dicatur. *Pausanias l. 10. & Diod. l. 5. cap. 17.*

PHOENIX Amyntoris filius, qui Achillem ad Trojam co-
B mitatus est, matri gratificaturus, patris interfecit pellicem, prætulit Amyntor proprium affectum domesticæ pietati: filiumque dirè execratus, domo, ac patria pulsum perpetuo mulctavit exilio. *Sabell. l. 3. c. 3.*

ALTHEA, Oenei uxor, ut duorum fratrum cædem ulciscereturr, Meleagrum filium cædis auctorem crudeliter devovit, devotum ad mortem compulit. Fuit hoc iræ indulgere, non severè animadvertere: secuta tamen est continuò pœnitentia, animoque consternata mulier laqueo vitam finivit, ac domesticam cladem propria morte cumulavit. *Ibidem ex Ovidii Transmutationibus.*

HIPPOMENES Athenienfium princeps, Limonem filiam in adulterio deprehensam, equo feroci, & famelico præbuit absumendam. *Ovid. in Ibin.*

Solaque Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente ferox viscera carpat equus.

Ortum est hinc adagium: Magis impius Hippomene. *Suidas.* Æschines adversùs Timarchum ejusque domicilii solum sua etiamnum ætate superfuisse tradit, quod ex re dicebatur παρ' ἵππον καὶ κόρην: id est, apud equum, & virginem. *Erasmus in Adagiis.*

C HIPPODORUS unus Codritarum, invidiam populi vitare cupiens, & optimi principis famam inter Athenienses adipisci: filiam cum mœcho deprehensam currui jussit alligari, atque discerpi. *Ælianus de varia hist.*

Pelasgi, cùm viderent liberos, quos ex uxoribus Atheniensibus, diem festum apud Brauronem agentibus raptis, susceperant, mutuò sese invicem adversùs Pelasgos tutari, & defendere, ac dignos se existimare, qui aliis pueris dominarentur: inter se dicebant: Si nunc, dum pueri sunt, sibi invicem opitulantur adversùs filios uxorum legitimarum, quas virgines duximus, quid facient adulti? Itaque filios è matribus Atticis susceptos necarunt, simul & mares. *Herodotus lib. 6.*

Fuerunt (ex numeroso, ut credere est, pellicatu) quinquaginta filii Artaxerxi Persarum regi. Hi Darii impulsu, quem pater contra morem gentis vivens regem constituerat, in senem conjurant. Nefarii consilii causa inde orta, quod pellicem unam, Aspasiam nomine, petenti Dario negasset pater, facinus ostento simile, quòd in paternam cædem numerosa illa filiorum phalanx conspirare potuerit, nullo discrepante.
D Cæterùm omnis humanæ pietatis immemor pater, Darium concepti sceleris convictum cum numerosa illa fratrum cohorte extremo affecit supplicio; conjugibus, & liberis interfectis: ex tanta nuper sobole ne progenies quidem ulla supersset, nec ipse multùm inde supervixit huic domesticæ cladi, morbo, & mœrore confectus. Rex felicior, quàm pater, regnavit annos duos, & sexaginta, nonagenarius obiit. *Sabel. lib. 3. c. 3. ex Plut. Artaxerxe.*

TIGRANES Armeniorum rex, in venatione collapso equo, cùm humi jaceret, præsentesque duo ejus filii essent, majorem natu, quia parentem non juvit, & mortuum arbitratus, ejus diadema capiti suo composuit, statim ut à casu surrexit, interimi jussit, regnumque minori natu filio tradidit: quia & patrem juvit, & ex casu dolorem se accepisse ostendit.

MITHRITATES Ponti rex, Tigranis socer, cùm adversus Bosphoranos, & Colchos, qui ab eo rebellaverant, exercitum duceret: Colchi se imperata facturos ostenderunt, si eis filium principem dedisset. In ea re cùm eis morem gessisset, positis armis Colchi pacatos se præbuerunt. Cæterùm E
haud multò post, is filium Mithridatem sub aliarum rerum prætextu vocatum ad se, quia ejus opera defecisse Bosphoranos, & Colchos putabat, catenis aureis vinxit, & postremo mori coegit.

Carthaginenses detestandum patriæ morem secuti (consueverant enim ducum suorum culpæ adscribere: quæ adversa fortuna contigissent) Mathonem cum toto exercitu exilio mulctarant: quia peste magna ex parte consumpto exercitu, in Sicilia, atque Sardinia victus fuerat. Milites in desperationem versi naves conscenderunt: & Carthaginem profecti, malè de se merentem patriam obsidere cœperunt. Contigit ut eò iter faceret Carthalo sacerdos, Mathonis filius, qui Tyro sacrorum causa revertebatur. Is à patre vocatus, subsistere neglexit, sed recta Carthaginem tetendit. Id, ut debebat religione motus, patienter Matho tulit. Sed non multò post, Carthaginensium permissu, Catholo sacerdotali veste amictus, atque corona ornatus, in castra ad visendum parentem venit. Indignatus Matho tanto ornamento, cùm antè filium corripuisset, quòd in tam superbo habitu ad miserum parentem, conciveque exules venisset (quippe qui ita F
eorum casibus insultare videbatur) in altissimam crucem sublatum, mori coegit. *Fulg. l. 5. cap. 8.*

HERODES rex Judæorum, filios duos præstantissimos, Aristobulum, & Alexandrum, falsis infidiarum criminationibus circumventos, in conspectu CL. virorum, Beryti damnatos, Sebaste strangulari fecit. *Joseph. l. 16. c. 17.*

CONSTANTINO MAGNO Imperatori ex uxore priore, quæ fuit, ab eo dilecta, natus dicitur Crispus (quem Sextus Aurel. ex Minervina scribit concubina progenitum) cum interfecit. Dicunt enim Faustum, Maximiani Herculii F. privignum Crispum, quia eum deperibat, ad libidinem sæpiùs tentasse, & renuentem detulisse apud maritum, illum voluisse vim inferre: & virum præbuisse fidem delationi, jussitque interfici. Cæsus est in oppido Istriæ Pola. Post aliquot annos comperta causa, occidisse uxorem. Alii aliter tradunt, insidiis Faustæ circumventum Crispum occubuisse, ne peritia in militando filiis obesset: & propterea post paulò fublatus est Licinius junior. Non caruit suspicione ex eo, quod factum est Constantinus, quod aliquot, quos noverat cædis illorum misereri, perdidit. Faustam fertur in balneas ardentes conjectam interemisse, matre Helena instigante. *Cusp. & Suidas.* G

Mortuo Gorbodione Britannorum rege Ferrex, & Porrex filii, inter se regno dimicare cœperunt, in quo certamine Ferrex interfectus est. Cujus rei dolore mota Gorbodionis Uxor filium Porrecem fratricidam dormientem ope ancillarum crudeliter interfecit. *Polyd. l. 1.*

IRENE Augusta, cùm eam Constantius VI. filius ab administratione imperii dejecisset: post Leonis IV. viri sui mortem eundem à populo in vincula conjectum excæcavit. Ex qua calamitate haud diù supervixit. *Fulg. l. 5. c. 8.*

SUGERIUS Sigismundi Burgundorum regis F. ex filia Theoderici Ostrogothi, supervinducta à patre noverca, non ut privignus modo novæ nuptæ invisus erat, sed quòd improvidè matrem defunctam laudaret nimis, generosioremque eam fuisse contenderet, quàm cujus mundo, ornamentisque illam excoli conveniret: adeò stimulos novercales in perniciem suam acuit, ut ea illum appetiti regni insimulante, pater uxori deditus ad quiescentem filium duos suorum intromiserit, qui laqueo cervici injecto spiritum intercluderent. Ob hoc parricidium à Clodamiro rege Aurelianensium interfectus est. *Æmil. lib. 1.* H

FRIDERICUS II. Imp. filium Henricum in carcere peremit, suspicatus sentire eum cum Gregorio IX. Pontifice, quo cum Fridericus bellum non sine magna odii acerbitate gerebat. *Fulg. l. 5. c. 8.*

LEONEGILDIS Gothorum in rex Hispania, Arianus, cùm sciviset Hermenegildum filium Catholicum effectum, idque uxoris Nigegundæ, Childerici Gallorum regis sororis, item Leandri Hispalensis Episcopi suasu, eum crudelissima morte affecit. *Fulgosus libro 5. capite 8. & Ritius libro 1. Hispaniæ: & Sigebertus*, qui Levigildum vocat.

DEUTERIA Gallorum regina vidua, Theodeberto Gallorum regi nupsit, secumque formosissimam ex primo viro susceptam filiam duxit. Suspicata autem Theodebertum ad hanc animum adjecisse, interimi puellam jussit: levissimæque suspicioni maternus amor cessit. *Fulgosus l. 5. capite 8.*

CLOTHA-